6

EPISTOLICA VELITATIO IN TRIVMVIROS AVGVSTANÆ CONFESSIONIS VERBI MINISTROS IOANNEM SCHNELZIGK, SIMONEM MANNVM IN HERENHALS, ET BARTHOLOMÆVM RVLICHIVM AVGVSTANVM.

An ex FIDE, quæ nihil recipiat, quod ſcriptum non ſit, probari poſsit, Baptiſmum ſub conſueta forma verborum adminiſtratum, eſſe verum, & legitimum CHRISTI Baptiſmum?

R. P. JOANNIS RAPHAELIS Cobenzl è Societate IESV THEOLOGI.

Cum Licentia Superiorum.

OLOMVCII, Typis Georgij Handelij.

ANNO: M. DC. XVI.

NOMEN DOMINI
Turris fortiſſima.



Ioan: 3. v. 5.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI.

Math: 28. v. 19.

Euntes docete omnes gentes: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Ad Epheſ: 5. v. 25.

Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. GVNTAKERO DOMINO à LICHTENSTEIN ET NIKELSPVRG, COMITI IN RITPERG, DOMINO IN WILFERSDORFF, in STELPACH, POISDORFF & RINGELSDORFF, Sac. C. Maieſta: Ex Deputatis Conſiliario & Cubiculario, &ç. Domino gratioſiſsimo, S. P.

PARABAM QVÆ TIbi etiam ex TVIS *offerrem in hunc nouum Annum; cũ inaudio: abiunctam Tibi paris cum Nobilitate virtutis Coniugem Tuam. Nec abſiſto cœptis: quando quæ parabam ex* TVIS, *Fidem erigant; per quam ſupra hominem, in tam graui & luctuoſo caſu, animo es ad miraculum erecto.*

Dicebas enim & aliâs, & nuper cum adeſſem tibi in Collegio, Aut vnam Catholicam, aut nullam earum omnium, quæ ſcripto Dei verbo ni-

antur, eſſe veram Religionem. Niſi enim Catholica vera ſit, quæ nec ſalli potuerit, cum acciperet pro verbo Dei, quod teſtatur eſſe verbum Dei: nec aliàs ſallere, cũ ex eius vnius teſtificatione ſcriptum Dei verbum accipiunt; planum eſt, multo minus veras eſſe reliquas (Sectas verius, quam Religiones) quæ à Catholica, quæ vera non ſit, verbum Dei, in quo fundantur, accepêre. Niſi ergo Catholica vera ſit, nulla eſt vera earũ omnium, quæ ſcripto Dei verbo nituntur. Hoc autem cum impium ſit cogitatu, neceſſe eſt vnam Catholicam, quæ nec falli potuerit, nec ſallere, veram eſſe.

Hinc rectè Tu, omnes & ſingulos Fidei articulos, quos proponat credendos, veriſſimos eſſe, concluſiſti: & omnes alias à Catholica Sectas, quæ ſpecioſo Religionis velo impietatem ſuam obtegunt, quia Catholicæ veræ Religionis atteſtatione damnatæ ſint, HÆRESES eſſe verè, nõ RELIGIONES.

Illinc autem & ego rectè: Præter ſcriptum Dei verbum, aliud paris autoritatis & venerationis eſſe TRADITVM Dei verbum, quod vnâ cum ſcripto, NORMA ſit FIDEI & Agendorum ex

FIDE,

FIDE, contra quam HÆRETICI contendunt: Scriptum Dei verbum vnam eſſe NORMAM FIDEI, & Agendorum ex FIDE. Nam & hoc atteſtatione Catholicæ veræ Religionis damnatum eſt: & illud eiuſdem atteſtatione probatum.

Illinc etiam, & verê deduco: quanquam in ſcripto Dei verbo expreſſam non habeas verborum formam Baptiſmo præſcriptam; de qua cum TRIVMVIRIS Lutherani verbi Miniſtris ab anno, & amplius ſum velitatus; eſſe tamen ex inſtitutione diuina, & præcepto adhibendã Baptiſmo. Ita enim ex TRADITO Dei verbo, & ea quæ eſt ſecundum TRADITIONEM ſcripti verbi intelligentia, docet CATHOLICA vera Religio, quæ nec fallere poteſt, nec falli.

En autem, vt ex TVIS etiam pararem, quæ offerrem TIBI. Et quoniam mea ex TVIS longè maximè & firmata ſunt, & exornata, TVA potius, quam mea, de manu tamen mea, pro dignatione Tua accipies: & probabis, cæptis me meis luctuoſiſſimo illo caſu tuo non abſtitiſſe.

Nam & ex illis TVIS extat FIDES TVA: ex-

tat ex Fide ſupra conditionem erectus, & ex Deo ſuſpenſus animus: extat ſpes, & illud in tam graui luctu ſolatium, quo nuper dicebas: Expendentem Te caſum hunc Tuum illuminata per Fidem ratione, quanquam pro humana conditione non poſſes non affici; habere tamen potius cur ex animo gaudeas, quàm cur triſtêre. Extat demum ſancta & ſalutaris plenaq́ charitatis vera cogitatio, pro Defuncta, vt à peccatis ſoluatur: quæ ſi illi neceſſaria non ſit, eius reſpectu proſit alijs, vera illi charitate coniunctis.

Vera enim ſunt, quæ ab vna vera Religione Catholica nobis propoſita ſunt, de Deo, de Prouidentia illius circa nos: de animorũ immortalitate, & reſurrectione mortuorum: de bonorum poſt hanc vitã remuneratione: & ad illam in hac vita via, quæ eſt Religio, & vera Fides in Christum, operans per Dilectionem.

Tantò verò ex his eſt auctior Fides Tua, quantò & ſæpius à Te, & diligentius expendũtur. Vnde excelſus ille, quem in luctu prætefers Animus, ad ſanctam & beneplacentem Dei volunta-

tem

té exactus. Spes quoq; de felicitate DEFVNCTÆ; quam ipſa TIBI ſecundũ DEVM vel maximè debet: cuius ductu in viam felicitatis reducta, recto etiam itinere, nec interrupto eſt ad felicitatem perducta. Hinc & ſpes de felicitate Tua: quæ firmetur magnopere ex illius felicitate, vti pignore iam depoſito felicitatis tuæ. Hinc etiam mentis gaudiũ, quo & ſenſus, qui ex diſiunctione veſtri ſecundum hominem eſt, ita mitigetur; vt non magnoperè ſentiatur. Et eſt de ſpe CONIVNCTIONIS, eo priſtinâ dignioris, quo ſimilior eſt Angelicæ atq; diuinæ, nunquam diſſoluenda. Hinc demũ eſt efficax, & irrequietus AMOR ille TVVS, quo Tu quibus vis pietatis officijs, ac inprimis SACRO ad altare Miniſterio, & immodicis propè largitionibus Tuis in pauperes, ſi quæ ſint reliqua eius peccata redimere contendis. Indidem vero RECIPROCVM eſſe cognoſcis, quo ILLA, vel iam de ſua felicitate ſecura, de Tua eſt ſine anxietate ſolicita: vel etiã per TE aſſecurata de ſua, erit de Tua, multo etiam magis, quam de ſua fuerit ſolicita, felicitate.

Hæc ergo & alia plura cum de TVIS ſint, ad

ſolan-

ſolandum ex DEO *dolorem hunc tuum, etſi non eſſent, vt reuera ſunt, ad mea confirmanda, & exornanda, à me tamen debebantur* TIBI*: nec niſi præpoſterè ob Luctum intermittenda, quibus vel maximè ſolaris,* IN DOMINO *dolorem tuũ. Accipe vero pro* FACILITATE *tua dignanter à me, quæ à* TE *offero* TIBI*: & perge* TE *ijs attollere ſupra te. Meq́ ac mea imò* TVA, *&* NOSTRA, *quia* VERÆ CATHOLICÆ RELIGIONIS *ſint, indidem propugnare. Hiſce verò me & Collegium Societatis tibi deuotiſsimæ humillimè commendo. Viennâ ex Collegio Conuictorum Societatis* IESV, *die 7. Febru. An: 1616.*

Illuſtr: D.T.

Indignus in Chriſto ſeruus

JOANNES RAPHAEL
Cobenzl è Societate
IESV.

CAN-

CANDIDO LECTORI
SALVTEM.

QVOD DEM IN LVCEM, meo etiam iudicio tenebris potius, quam luce dignas Epiſtolas meas; extorſit vnus ex Triumviris Lutherani verbi Miniſtris; ad quos ſunt datæ. Simon is eſt, ad Viennæ ſuburbia in Herenhals; qui contra datam fidem; reſponſurum ſe ſcripto ad ſcriptum, ab Septembris initio in hanc horã, nihil ad meas duas reſpondit: tertiam recens oblatam, ne admiſit quidem. Ita verò res habet.

Scripſeram de Baptiſmo quæſtionem, ad Ioannem Schnelzigk, anteceſsorem huius, in Nouembri Anno 1614. & cum ex interuallo ſex & ſeptem menſium nihil reſcriberet, iterum atq; iterum vt reſcriberet, per duas epiſtolas commonefeci. Sed fruſtra. Ergò in auxilium Amici veteris, & Symmyſtæ, veterem Amicum, & Symmyſtam in verbo, Bartholomæum Rulichium, ipſe ego datis Literis, quibus incluſi, quas ad Ioannem dederam, Auguſta Vindelicorum euocaui. Et promptiorem opinione comperi: haud dubiè veritum notam, quam ſibi Ioannes per ſilentium inuſsit. Seſe tamẽ

ipſe grauius notauit; cum diſsimulato propoſitæ quæſtionis ſtatu, varia, & multiplici, quæq; ad rem non faceret, quæſtione, nō ſolum tempus reſponſo extrahere viſus eſt; ſed & me divertere aliô, & excuſationem parare, ſi nō reſponderet: Non reſpondere, quia ſibi ad quæſita ſua reſponſum non eſſet Occurri verò, & ſingillatim ad omnia confeſtim reſpondi: atq; quod optabam magnoperè, ad votum & cōmendationem hominis, planum aliâs & apertum quæſtionis ſtatum elucidaui. Ergo repoſuit officium, & reſcripſit: quam aptè, & pro Magiſterio, quod gerit; & ipſe tu ex eius epiſtola, quā ſuo ordine exhibeo, diiudicare potes: & ex meo ad illam reſponſo.

Intereâ ex humanis ſublato, & in Lutheri cælum elato manibus Angelorum Ioanne Sartorio, verbi Miniſtro in Herenhals, ſuccedit in Miniſterio, qui etiamnum adminiſtrat Simon Mannus. Is pro conſuetudine, in ea, quam in primis habuit ipſo Sanctæ Mariæ Magdalenæ ſacro die, cōcione, Me, in meis, & cum meis perſtrinxit acrius, quam vt diſsimulare potuerim.

Pharisæos dixit, qui cum in abſentes Verbi Ministros, ad inſtar Pharisæorvm in Christvm, petulantiſsimè garriamus, vel ad vnius illorum, cum Pharisæis ad Christi præſentiam, obmuteſcamus. Audij

Audij THRASONEM, ſed aliquanto tardiùs. & vel ex intervallo ſex hebdomadum, Septembris initiò, illi me in epiſtola mea ſtiti: vt probarem: An, qui iam coràm duobus non obmutuiſsem, coràm hoc tertio perſuaſione ſua CHRISTO, ego PHARISÆVS, obmuteſcerem.

Ipſe verò, quod optabam, in manus dedi epiſtolam, priſtina illa inſtructam de Baptiſmo quæſtione, ex incluſis epiſtolarum exemplaribus, quas in illam horam dederam ad alios duos, eiuſdem farinæ CHRISTOS.

Accepit humaniter, & officioſè, cum promiſſione certi in ſcripto reſponſi: quia paratum ſe diceret pro MINISTERIO, & verbo, & ſcripto dare ſatisfactionem, OMNI POSCENTI SE RATIONEM DE EA, QVÆ ESSET IN SE SPE. Excuſabat autem moram aliquam per occupationes Miniſterij; cui ipſe vnus tanto, tam graui, tam vario, nequaquam ſufficeret.

Cum autem longiorem traheret, quam pro THRASONICA pollicitatione ſua, & ſileret; exeunte altero prope menſe officij, atq; promiſsi illũ admonui. Grauius autem, quam vt ipſe quoq; ferre poſſet. Interpretatus enim ſilentium, pro conceſsione eorum, quæ ſcripſeram, euidenter inferebam: Illum ex FIDE ſua, nec BAPTIZATVM

eſſe: nec CHRISTIANVM: & alia quæ conſequuntur.

Hiſce verò perſtrictus, cum debuiſset FIDEI datæ meminiſſe, vt reſcriberet: QVÆ IN AVREM AVDIERAT, PRÆDICAT SVPER TECTA: & in diem Iouis proximum, qui fuit quintus Nouembris, inuitat etiam Catholicos ad propoſitam ſibi à me quæſtionem, planum & apertũ ex Cathedra pro Concione reſponſum audituros.

Adfui & ego, nominatim inuitatus, cum duobus alijs ex Collegio: ne, vt ille mihi ſcriptionem contra datam fidem abnegabat, viciſsim ego ex diffidentia, oblatam & petitam audientiam illi abnegaſſe viderer.

Fefellit autem bonus Simon etiam datam pro cõcione fidem. Deriuata enim aliorſum de NORMA FIDEI prolixiſsima diſputatione, ad quæſitum meum & argumentum NIHIL reſpondit. vt & ego poſtea data ad eum epiſtola, quæ in his eſt vltima, demonſtraui: & ſtatim ab illa eius dictione oſtenderunt, ac proclamarunt, tam ex noſtri templi, quã ex S. Stephani CATHEDRIS, NOSTRI duo.

Feciſſem id ego citius, vt volebam; ſed diſtuli, certa mihi iniecta ſpe ab DIRECTORIBVS vno, & quidem etiam ab doctrina MAGNO, fore, vt quod peterem in ſcripto reſponſum, à ſe prius viſum &

reui-

reuiſum, haberem. Simoni enim id & permiſſum, & commiſſum eſſe.

Non eſt autem vſus facta ſibi poteſtate: fefellitq; non tã me, cui fecerat, quam illum MAGNVM, per quem fecerat ſpem expetitæ ſcriptionis.

Rurſus verò conſcendit Cathedram die 13. Decemb. & duorum è NOSTRIS in ſe conciones refutare conatus, reſumpſit etiam quæſitum, & argumentum contra ſe meum. quid dixerit, & quam aptè pro Magiſterio ſuo reſponderit, oſtendo citata epiſtola mea. Eam verò Apologeticam, ſtatim ab altera etiam concione in me dicta non ſcripſi; cõfirmatus in priſtina mea ſpe, eiuſdem illius MAGNI iterato verbo: SIMONEM, vt expetitur, breui reſponſurum. Itaq́; vel eo etiam nomine diſtuli, quæ per exceptores acceperam confutare ſcripto, vt ſat eſſet otij bono Simoni in chartam conferendi, & tranſmittendi, quæ de ſuperiori loco ad multitudinem cõtra me, & mea, vtraq́; concione dixiſset. Sed id otium, vt videtur, non ſit illi dum viuat: cũ fuerit poteſtas à Moderatoribus, quos etiã pro concione ſeſe excuſans, reſponſũ ſibi vetuiſſe prætẽdit.

Itaq́; cum nec ab otio, quod illi intereà fuit, nec à Moderatorum vetito, quod facta reſcribendi poteſtate, ſi quod fuit, ſublatum eſt, bonus Simon à dilata ſcriptione excuſabilis eſſet, & aduer-

terem ego, non reſcripturum, vt receperat; quam ſcripſeram, in duas eius conciones, quâ quidem me, & mea concernerent, epiſtolam, illi offerendam tranſmiſi 21. Ianuarij Anni 1616.

Continet ea duplicem libellum: vt ex altero illorum Simon intelligat, pro concione cui inuitatus adfui; Nihil ſe penitus ad quæſtionem, & argumentum contra ſe meum reſpondiſse: ex altero pro concione cui non adfui, Nihil ſolidè ad quæſtionē & argumentū contra ſe meum reſpondiſſe

Lator epiſtolæ fuit D. Iodocus Dulten Philoſophiæ Magiſter, & in Archigymnaſio ad Theologicam Lauream candidatus, Simoni perquam familiaris, & charus etiam ex concertationibus de FIDE, quas multas, & frequentes inter ſe habuerunt. Exijt autem vt offerret benè mane die 21. Ianuarij: nec, etiamſi redijſset, ante nonam obtulit NEGATO domi Simoni: qui ante nonam illo die non exceſſerat domo. vt ipſe mihi faſſus eſt, cum forte fortunâ poſt meridiem ex vrbe domum reuecto, ego domum ex vicina villa rediens, occurrerem, & de epiſtola, atq; latore ſignificarem. Addidi rediturum luce poſtera: quod eſt factum. Audi verò quomodo, & quo euentu.

Veniebat ad Ciuitatem Simon, & illum ante Pagum occurrentem ſibi, D. Magiſter Iodocus oc-

cupat: ſalutatoq; etiam ex me, epiſtolam meam offert. Ille, reddita pro more officioſiſsima ſalutatione: non accipere epiſtolam: & excuſare Directorum ſuorum prohibitionem. Vt autem fidem faceret; inuitare, ſecum vt veniat ad Directorum miniſterij principem: ſe, ipſo præſente, facultatem petiturum accipiendi, & reſpondendi. Nihil enim æquè ſibi in votis eſſe, quã vt mihi cũ bona gratia Directorum ſatisfaciat. Ergò poſt longam diſputationem, etiã domi eius, ad quem aditum opperiebantur; de eodem planè argumẽto, de quo pridie mecum in via publica contulerat, vnus Simon admittitur ad principem Directorum Miniſterij. Cui ipſe: (vt poſtea retulit, ex eius enim vnius ore id habemus) offerri ſibi per Dominum Magiſtrũ, qui opperiatur foris, epiſtolã à me, poſt duas antè datas, acceptaſq; ; petere, & eius bona cum gratia hanc etiam liceret accipere, & pro Miniſterij dignitate reſpondere. Abnuiſse vero illum; & edixiſse: intelligeret D. Simon interdictum ſibi omni cum IESVITIS de Religione congreſsu, & meminiſſet Inſtructionis quam habeat. vocatum non vt diſputet, ſiue ſcripto, ſiue verbo; ſed vt ex Cathedra populum doceat, & paſcat. Si quid illum velint IESVITÆ, ſe conueniant. relaturum ad DIRECTORVM MINISTERII COLLEGIVM, & ex reſcripto illius reſponſurum.

Re-

Refert cum hoc nuntio epiſtolam mihi D. Iodocus. & cogit, vt effectum dem, quod facturum in vltima, quam non accepit Simon, niſi reſponderet perſcripſi. Itaq; pro Veritate in ſuam Libertatē vindicanda, de qua periculum ſubijt, per duas Simonis eiuſdem argumenti conciones, non datas ſolum ad illum epiſtolas; ſed & tres ad Ioannem Schnelzigk, & alias tres ad Auguſtanum Rulichiū, cum duabus ad me Rulichij, typis committo, Vrbis ac Orbis æquiſsimæ cenſuræ, atq; iudicio, vtroſq; noſtrum ſubmittens.

Hæc verò ita ad Longum per ſimplicem narrationem præfatus ſum, vt & ex epiſtolis controuerſam inter nos quæſtionem etiam ex ſcriptionis cauſa, & ordine plenius intelligas: & confidentiam meam In cavsa. quam legi velim ad cenſuram & iudicium non tantum ab Æui præſentis hominibus, ſed & ab ſera poſteritate noſtra. Hiſce vale & iudica. Viennæ ex Collegio Conuictorum Societatis Iesv, 7. Febr. An: 1616.

Ioannes Rarhael Cobenzl è Societate Iesv.

EPI-

Epiſtolicæ Velitationis
In
TRIVMVIROS AVGVSTANAE CONFESSIONIS
VERBI MINISTROS, IOANNEM SCHNELZICK, SIMONEM MANNVM IN HErenhals, & Bartholomæum Rulichium Auguſtanum.

An ex FIDE, quæ nihil recipiat, quod ſcriptum non ſit, probari poſsit Baptiſmum ſub conſueta verborum forma adminiſtratum, eſſe verum, & legitimum CHRISTI Baptiſmum.

EPISTOLA I.
AD IOANNEM SCHNELzigk Verbi Miniſtrum in Herenhals,
quo cum cæptum eſt velitari.

Erudite Domine IOANNES.

Pax CHRISTI.

OCTAVVS HIC DIES EST, CVM poſt neceſſariam ægrę valetudini deambulationem in vrbem rediens, ad te deflexi; vt communi Patria notum conuenirem pro officio, & ſalutarem. Aduenī autē cum abirent à te ex Proceribus nōnulli, veſtro ad infantis expiationem, per Sa-

 croſan-

croſanctum Baptiſmum vſi miniſterio. Optabam maturius aduenisse, perſuaſus omninò, id eorum dandum gratiæ: vt & tuo conſpectu fruerer: & alloquio dignarer: qui digreſsis illis, ab arcis cuſtode obtruſa mihi in os porta, vel atrio domicilij tui ſum excluſus. Scio te id factum inſcio, & impediturum ſi prouidiſſes iniuriam: & qua es humanitate, pari potius officio venienti occurſurum. Atq; hoc magis doluiſſe mihi ingenuè fateor; non quia contumelioſè excluſus ſum; (nam in his eſſe didici) ſed quia tam grato tibi officio ſum excluſus. Solaberè autem pro facilitate tua dolorem hunc meum: ſi vicarias has mei literas, & ſalutationem, eo ſtudio & animo excipias, quo ſtudioſiſsimum tui adeuntem te ſympatriotam exciperes. Audere me verò amplius humanitas tua facit, vt impetraturum ſperem, ducto hinc felici principio, mutuam per literas in poſterum communicationem. Erit, quod ad me attinet, & amica, & modeſta, & ſeria, atq; de ijs, quæ iure merito exigantur à Miniſtro Verbi, parato ſemper ad ſatisfactionem, *Omni poſcenti ſe rationem, de ea quæ in illo eſt ſpe. 1. Petr. 3. v. 15.*

Vt autem de futuris ex præſenti ſua ſit fides, quoniam quod intercæptum eſt alloquium tui, fuiſſet haud dubiè è re nata, de Baptiſmo, quem recens adminiſtraueras; placeat tibi velim, amicè quidem, & modeſtè, ſed tamen ſeriò, vtpote de re grauiſſima percontantem, & pro manſuetudine tua patienter audire: & pro doctrinæ copia inſtituere ſapienter.

Quæro igitur, quomodo ex FIDE TVA, Baptiſmũ, quem iuxta Agendam Auſtriacam adminiſtras, verum & legitimum per DEI verbum probes, qui præter ſcriptũ DEI verbum, aliud DEI verbum non probas? Ex TVA inquam non MEA FIDE. Nam ex mea tute ipſe facile

vali-

validum & ratū probes, ſi quod eſt, tibi perſuadeas, agnoſcere me præter ſcriptum, aliud paris omninò autoritatis & venerationis DEI verbum. Ex hoc enim, ſicut habes Baptiſmum inſtitutione CHRISTI ac præcepto ſub certa verborum forma, ea nimirum quam *Agenda* præſcribit administrandum; & adminiſtratum aliter CHRISTI Baptiſmum non eſſe: ita ex eadem FIDE MEA tu mecum probare potes, Baptiſmum, quem adminiſtras ratum eſſe ac validum.

Non eſt autem, vt idem tu mihi ex FIDE TVA probes, qui probare non potes ex illa, & ſcripto tantum DEI verbo, adminiſtrare te Baptiſmum ex inſtitutione ac præcepto CHRISTI. Cum enim ex FIDE TVA aliud, quā ſcriptum DEI verbum non admittas; ex hoc autem probare non poſſis, adminiſtrandum Baptiſmum CHRISTI ſub præſcripta ab Agenda verborum forma (quam tamen orthodoxè ſtatuit vnà cū ablutione ad Baptiſmi ſubſtantiam & eſſentiam pertinere) planum eſt ex FIDE TVA te probare non poſſe; Baptiſmum, quem adminiſtras, eſſe Baptiſmum CHRISTI. Porro autē quia ſolus Baptiſmus CHRISTI, hoc eſt inſtitutione ac præcepto CHRISTI adminiſtratus, ratus eſt ac validus; ſiquidem ex FIDE TVA probare nō potes, adminiſtrare te Baptiſmū CHRISTI, cum illum ex Agenda tua adminiſtras, probare non potes ratum te ac validum adminiſtrare Baptiſmum.

Agenda cap. 2. de Baptiſmo.

Non poſſe te autem probare ex FIDE TVA, & ſcripto DEI verbo, Baptiſmum CHRISTI, ex eiuſdem inſtitutione ac præcepto, ſub ea, quam *Agenda* præſcribit, verborum forma adminiſtrandum; vel ex ipſis Sacrorum librorum, quæ ſunt plurima de Baptiſmo, locis, eſt manifeſtum. Quanquam enim multa ſint; nullū tamen legas, quo ſecluſa TRADITIONE, & quæ eſt ſecundum TRA-

DITIONEM intelligentia ſignificetur, ſub præſcripta verborum forma Baptiſmum adminiſtrandum. Relege mecum ſingula, & ni ſit vt ſcribo, redargue.

In primis enim Math: 3. v. 1. Mar: 1. v. 8. Luc. 3. v. 16. Ioan: 1. v. 33. ex teſtimonio Ioannis Baptiſtæ legis quidē, baptizaturum CHRISTVM *in Spiritu ſancto*, tantum autem abeſt vt legas, ſub præſcripta verborū forma baptizaturū, vt aliud quam in Spiritu ſancto baptizaturum non legas.

Deinde, licet eiſdem locis baptizatum à Ioanne dominum legas: apertum illi deſuper cœlum: auditam Patris vocem: corporali columbæ ſpecie viſum ſuper illum Spiritum Sanctum: non legis tamen vel inſtituiſſe, vel præcepiſſe Baptiſmū, ſub inuocatione Sacroſanctæ TRINITATIS adminiſtrandum. Multo minus ſanctificatas CHRISTI contactu Iordanis aquas, & in Baptiſmum dedicatas: quod tamen habet Agenda tua, non ex hoc vt iacet Scripturæ loco, ſed ex huius loci diuinitus TRADITO nobis ſenſu.

Tertiò minus in rem tuam legis apud Ioannem cap. 3. vbi tamen v. 3. de Baptiſmo legis: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* & verſ: 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Minimè verò omnium v. 22. vbi CHRISTVM dominū baptizaſse legis: per Apoſtolos nimirum: vt ex initio capitis quarti eſt manifeſtum. His enim locis, quanquam legas de Baptiſmo præceptum; quia legis ad ſalutem neceſſarium; nihil tamen minus legis, quam ſub præſcripta verborum forma adminiſtrandum. Maximè, cū in prioribus tertiam duntaxat, in qua ſit renaſcendum, ex diuinis perſonam legas: in poſterioribus itidem ſolam ſecundam baptizantem.

Quartò nihil etiam proficis ex eo, quod legis apud

Digitized by Google

Matthæum cap. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hic enim nihil aliud mecum legis, quam præceptum, vt baptizes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Præceptum autem Agendæ tuæ, vt enunties. te baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* quia non eſt, non legis. Vt proinde ſi abluas, concepta duntaxat animo verborum forma; quanquam videare præceptum Agendæ præteriuiſſe, videare tamen ex ſcripto hic CHRISTI præcepto validè baptizaſse. eò præſertim, quod licet concedam, præceptum hic de Baptiſmo, accipiendum de Baptiſmo ſub inuocatione Sanctiſsimæ TRINITATIS conferendo; ex vi tamen verbi, nulla me conuincas ratione, tibi ſub expreſſa per vocem Sanctiſsimæ TRINITATIS inuocatione baptizandum. Multo autem minus ſi contendam, illo præcepto nihil ſignificari aliud; quam baptizandum tibi autoritate, & virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui Baptiſmum inſtituit. Vt probatis in Eccleſia Doctoribus ſignificat illud, toties in Actis Apoſtolicis repetitum, BAPTIZARE, vel BAPTIZARI IN NOMINE DOMINI JESV, ſic autem accepto hoc præcepto, niſi vel hinc, vel aliunde probes, quod non potes, Baptiſmum CHRISTI cõpleri vocali Sanctiſsimæ TRINITATIS inuocatione, videbere ex præcepto CHRISTI domini baptizaſse ſi abluas, ſub mentali duntaxat invocatione TRINITATIS. Quod non concedas, qui ſecundum Agendam tuam velut non baptizatum baptizas, oblatum tibi ab OBSTETRICE infantem, quem illa in neceſsitate baptizârit non ſeruata verborum forma, quam vt de eſſentia & ſubſtantia Baptiſmi, præſcribit.

Vide autem, vt vnde maximè videri poteras euicturus, ad Baptiſmum CHRISTI enuntiandam, quã præſcri-

bit Agenda verborum formam, inde ego tibi, & ex FIDE TVA probem, validè te conferre Baptiſmum, etiamſi abſq; verbo, quod tamen vt neceſsarium Agenda requirit, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* baptizes.

Nec eſt quod hunc Matthæi locum, ex illo ad Epheſ: 5. v. 26. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, explicari alteroq; per alterum explicato contẽdas, Baptiſmum ſine verbo validè non adminiſtrari. Quid enim ſi opponam, illic Paulum non agere de Sacramentali verbo; quo, vt in Scholis ex Auguſtino receptum, *accedente ad elementũ fit Sacramentum*: ſed de verbo prædicationis, quod Sacramentum ex præcepto illo Math: 28. v. 19. debet præcedere? Repete oro mecum verba præcepti: *Euntes* inquit Math: *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & intellige: ſicut ex vi huius Literæ, ſecluſa TRADITIONE, nequaquam probas contra Anabaptiſtas, validè te, nec contra Domini præceptum baptizare PARVVLOS, antequam illos & tu docere poſſis, & illi te docente credere: ita ex eius præcepti ſonante Litera, TRADITIONE ſecluſa, nequaquam probare, vt validè baptizes, requiri verbum ad ablutionem, quod *Agenda* requirit.

Addo, vt liberaliter concedam, quod non debeo: ex vi huius præcepti ad Baptiſmum requiri Sacramentale, quod aiunt, verbum. Proba hinc mihi, amabò te, requiri determinatè verbum, quod *Agenda* præſcribit. illud nimirum, quo baptizans de præſenti indicet ſe baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Proba cur non ſufficiat verbum, quo vel optes, vel imperes baptizari, hoc vel ſimili modo. *Vtinam abluaris: abluere: vel ſis ablutus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Proba demum hinc, malè docuiſſe Lutherum de captiuit. Babylon. ca. de Baptiſmo:

ratum

ratum ac validum eſſe Baptiſmum, quocunq; modo ac forma collatus fuerit, dum tamen non in hominis, ſed in nomine Domini conferatur. imò qui ab impio Miniſtro in nomine Domini non conferatur; dum tamen in nomine Domini acceptetur.

Non probabis autem, nec ipſe te hiſce pedicis expedies, quam diu ſolo ſcripto DEI verbo nitère. Ego & Agendam tuam, & me ex FIDE MEA, vel illo vnico expediam: ſic T*RADITVM*, ſic *ACCEPTVM* eſſe. N*IHIL PRÆTER QVOD TRADITVM* eſt *INNOVANDVM.*

Non poſſum autem hic præterire, quin ad ſupradictas, quibus ex vi Literæ proximè citati Euangelici contextus premeris, alias duas attexam difficultates. Alteram, quæ oritur ex orthodoxia Agendæ tuæ, probantis Baptiſmum ab OBSTETRICE ſub præſcripta verborum forma collatum. Quid? ad alioſne quam ad DISCIPVLOS dictũ eſt, *Euntes docete, baptizantes eos?* Alijne quam Apoſtoli, vel Apoſtolici viri leguntur in Scriptura baptizaſſe? Ergo ſine exemplo, ſine præcepto Scripto, Baptiſmum adminiſtra probas MVLIERE, qui Nihil in fidei rebus probas, quod ſcriptum non legis? Alteram: quinam item ex FIDE TVA probes Baptiſmum à Laico FIDELI, vel etiam INFIDELI collatum, qui non niſi F*IDELIBVS* D*ISCIPVLIS* dictum legis *Euntes docete baptizantes eos*: non niſi F*IDELES APOSTOLOS* & *APOSTOLICOS* viros baptizaſſe in Scriptura legis?

Hæc autem omnia, cum te ex FIDE TVA magnoperè diuexent, ex F*IDE MEA* ad inſtar fumi euaneſcunt omnia, ſi dicam: ſic T*RADITVM* ſic *ACCEPTVM* eſſe. N*IHIL PRÆTER QVOD TRADITVM EST, INNOVANDVM.* Vt olim conclamarunt ſanctiſſimi Patres, errorem de rebaptizandis Hæreticis, cum redirent ad Eccleſiam, damnantes.

Deni-

Actor. 2. v. 38. & 41.
Actor. 8. v. 12. 13. 16. 37. 38.
Actor. 9. v. 18.
Acto: 10. v. 47. 48
Acto: 18 v. 8.
Acto: 19. v. 3. 5.
Acto: 22. v. 16. & alibi.

Deniq; & ex reliquis Scripturæ, quæ ſunt plurima de Baptiſmo locis, te non poſſe probare, illũ ſub præſcripta ab Agenda verborum forma adminiſtrandum, quia id ſcriptum non ſit, tute ipſe inſpectis locis, quæ ſunt in margine notata, aduerte. atq; pro libertate redargue, ſi iudicas id à me etiam in alijs non ſatis oſtenſum. Vt id autem liberè & confidenter facias admoneo: quia his quæ oppoſui, ſtantibus, ſtat immobiliter: probari non poſſe ex F*IDE TVA*, Ianuam te tuis ad Eccleſiam, & regnum cœlorum aperire: Eccleſiam te ac cœlum per Baptiſmum propagare. Id autem quale ſit, pro tua prudentia, ac prouidentia expende. Et niſi ſeria ſint, & amicè, modeſtèq; propoſita; addam ſi vel aliena à tua dignitate, vel à mea perſona, nihil reſponde: ſin qualia ab initio ſum pollicitus, atq; iure merito ex Cathedra quam obtines requiſita, dignare me Sympatriotam tuum, & quod dignius, comparticipem C*OMMVNIS SPEI*, vel pro præoccupato ſalutationis & ſcriptionis officio, reſponſo tuo. Voueo autem, & opto, vt interea, ac in Æ*TERNVM* Deus Optim: Max. tibi bene velit. Vienna ex Muſæo meo 14. Nouembr. Anno M. DC. XIV.

D. T.

Sympatriota ſecundum carnem
& Seruus in Chriſto.

JOANNES RAPHAEL
Cobenzl è Societate IESV.

ALTE-

ALTERA AD EVNDEM EPISTOLA,

Qua ex interuallo ſex menſium petitur ad primam reſponſum.

Erudite Domine Ioannes,

Pax CHRISTI.

QVOD TE VEL EX ITINERE CREMBſenſi reuerenter ſalutem, velim interpretere ex priſtino meo aduerſum te amore profectum. Salutationis autem occaſio fuit, TVA MANVS in naui mihi repræſentata, qua pugillaribus Domini *Ioannis Schmelzeri* Auguſtani ciuis impreſſa, ſalutem plurimam ſignificabas Auguſtano Symmyſtæ tuo *Bartholomæo Rulichio.* Dicam quod eſt, ea viſa incenſum me priſtino meo deſiderio, eandem papyro impreſſam, reddere mihi à te quam prior dedi ſalutem. quod etiam factum, vt familiariter bono Domino quererer: non ſatis pro officio te hactenùs ſiluiſſe ad meas, quas tam humaniter videri volebas admiſiſſe. Subieci verò etiam excuſationem, quam obtendas: vetitum tibi ab ijs, ex quorum arbitratu pendeas, reſponſum. Vt autem is excuſationem non probauit; ita vix putem aliorum quemquam probaturum. Vt proinde exiſtimationi tuæ conſulens, etiam atque etiam obteſter, vel ex interuallo ſex menſium; & ſalutem Sympatriotæ reſcribe, & non immeritò dubitanti conſule; quî probes ex ſolo ſcripto DEI verbo, Baptiſmum quem ex *Agenda* tua validè adminiſtras, verum & legitimum CHRISTI Baptiſmum eſſe. Oro etiam vt Domino *Ioanni* harum latori, priores meas oſtendas; ex quibus cognoſcat non abſq; ratione quæſiſſe me ex te, quod quæſiui. De cætero valere te quàm optimè & diutiſſimè precor ex animo, &

Digitized by Google

reſponſum expecto. Quod; niſi magnoperè fallor, mereatur etiam te judice ardentiſſimum quo teneor tui, tuarumq; rerum deſiderium. Iterum atq; iterum vale: & ſi dignabere, quod ſpero, me tuis, eas dirige non in TRIBENSEE, quo tempeſtate delatus, hæc ad turbatū Danubium, per otium exaraui; ſed in Conuictorum Societatis IESV Collegium, cui ab aliquot menſibus ſum Præfectus. Et polliceor, nullis me occupationibus abſtinendum, quominùs officio tecum certem ea, quam & præ me tuli hactenus, & tu requiras modeſtiâ, & obſeruātia tui. Ex TRIBENSEE quinto ab vrbe lapide 25. Maij, An: M.DC.XV.

D. T.

Sympatriota ſecundum carnem
& Seruus in Chriſto

Joannes Raphaël Cobenzl
Collegij Conuictorū Societatis IESV Viennæ pro tempore Regens.

TERTIA EPISTOLA
ad eundem eiuſdem argumenti.

Erudite Domine Ioannes.

Pax CHRISTI.

CONVENIT ME SABBATO PRÆTERITO Dominus *Ioannes Schmelzer*: & redditas tibi à ſe meas, gratas, acceptaſq; fuiſſe retulit., multus omninò in humanitate tua commendanda; qua & ſe, & me propter modeſtiam complecterêre. Nihil autem literarum, quod referret à te accepiſſe, ne quidem quæ teſtarentur, quod acceperis quas dederam. interpellatores qui

ſe præ-

ſe præſente aduenerant, effeciſſe. Demùm non reſpondiſſe te hactenus ad meas, quibus mille modis reſpondere poſſis, excuſare te multas, & varias occupationes tuas: quibus pro multitudine, varietate, & grauitate, vno duntaxat adiuuante collega, vix ſufficias.

Benè ſit tibi Domine Sympatriota, qui præuenientem officio, & amantem ex corde, redamas, & aliquo vſq; humanitate tua proſequeris. Vellem eo proſequerêre, vt data ad quæſitum vna de mille reſponſione, probares conſtantem modeſtiam & obſeruantiam aduerſus te meam. Vnam autem de mille à te exigo; vt tuis occupationibus, quas certè multas, & graues agnoſco, reliquas concedam Audi verò quid ego de te in hac re familiariter, & amicè pronuntiem: Non ſatis te pro amicitia, & humanitate tua agere, qui pro amico & Sympatriota, quem plus, quam pro merito colis, & reuereris, tuis te occupationibus, vel ad horulam non ſubtrahas. Ego, qui ſi vnquam aliás in negotio ſum & occupatione ab ingenio meo, propenſioneq; & alieniſſimis, & moleſtiſſimis, tibi ſanctè polliceor; vt in ſimili, aut quouis alio officio gratificer tibi, dies & noctes negotio me meo ſubtracturũ, & vacaturum tibi

Quæſo autem, vt facta requiras, & experientiam mei capias. Atq; ſi alia tibi ratio gratificandi mihi in hac re non ſuppetat; ini eam; quam ego à te ſuggeſtam, in eodem, in quo tu es articulo conſtitutus, inirem. In Collegam tuum, amantem vtiq; tui, atq; pro amore aduerſum te ſuo libenter tibi gratificaturum, aliquid occupationis tuæ tantiſper deriua; dum quod tibi promptum eſt, & ego auidiſſimè expecto, conficiam. Oro etiam, vt officioſè ex me ſalutato, renunties: obligandum me illi perpetuo, ſi vel hac ratione cooperetur *ad rationabilia, & iuſta vota, ac deſideria mea*. Velim quoq; epiſtolam meam primam ad

te, illi communices, & vnâ mecum eius ſtes iudicio: dignum ne ſit reſponſo quæſitum meũ. Siue autem dignũ, ſiue indignum judicet, adlaborabit pro humanitate tua, vt hoc per te ſignificetur mihi.

Latorem autem harum *D. Ioannem Schmelzerum,* eadem humanitate, qua nuper excipias; commendaturum te, nõ minus apud *Bartholomæum Rulichium* (cuius occaſione alteræ meæ ad te ſunt datæ) & hæc inter nos humanitatis officia commemoraturum, quam apud me commendauit. Opto verò rurſus, vt D*EVS* Opt. Max. tibi, collegæ tuo, & omnibus benè velit. Vienna ex Collegio Conuictorũ Societatis I*ESV* 15. Iunij. Anni M. DC. XV.

D. T.

Sympatriota ſecundum carnem
& Seruus in Chriſto.

Joannes Raphaël Cobenzl
Collegij Conuictorũ Societatis I*ESV* pro tempore Regens.

EPISTOLA PRIMA
AD BARTHOLOMÆVM RVlichium Auguſtanum Verbi Miniſt:

Qua miſsis exemplaribus trium ad Ioan: Schnelzigk, oratur, vt ad quæſtionẽ illius vice reſpondeat.

Erudite Domine Bartholomæe.

Pax CHRISTI.

IGNOTVS QVIDEM TIBI, SED QVI ET te nouerim, & innoteſcam tibi, ad te ſcribo; officioſéq; ſaluto. unde autem & innoteſcam, & te nouerim, ha-

Digitized by Google

bes, quæ ſunt his adiunctæ, tres epiſtolas meas. Ex quibus illa eſt ad te ſcriptionis cauſa. Dedi per illuſtrem quendã virum, ante hos octo menſes, primã ad Symmyſtam tuũ, Sympatriotam meum, *Ioannem Schnelzigk*, Eccleſiaſten ad Viennæ ſuburbia in Herenhals. & pro humanitate qua à me profectam intelligens, accepit; mihi certo perſuaſit fore, vt officium quod expetebatur officioſè reponeret. Sed in hanc horam fruſtra ſum, ſiue per Monitores aurem illi vellicans: ſiue per poſteriores, quibus tuum eſt inſcriptum nomen, epiſtolas duas. Ergò cum ſpontaneum pro Amico, & communis cauſa, & notitia tui, te mihi debitorem ſuggeſſiſent; à te per has requiro, quod ab Amico tuo, Sympatriota meo, non obtineo. Si dederis, & vtriq; noſtrûm tuam in illum probabis beneuolentiam: & vtriq; communis cauſæ patrocinio, fidere te illi magis, quã tuum Amicũ oſtendes: & quod probroſiſsimũ ſit Eccleſiaſtæ probrum defugies: ex FIDE, quæ tibi cum illo eſt eadem, probari non poſſe, Baptiſmum quem legitimè & ex inſtitutione diuina adminiſtras, ratum & legitimum eſſe Baptiſmum. Erit qui ad hæc de prope reſponſum huc tranſmittendum exigat. Tu vel reſpectu perſonæ tuæ, & loci, quem inter tuos obtines, quod exigere depende: & pro certo habe, reddendum tibi ad tuas abſq; vlla mora plenum modeſtia, & obſeruantia tui reſponſum. Interim verò, dum reſponſum opperior, & poſtea quam optimè & diutiſſimè vale in Domino. Vienna ex Collegio Conuictorum Societatis I*ESV*, die 25. Iulij. An: M. DC. XV.

D. T.

Indignus in Christo Seruus

JOANNES Raphaël Cobenzl
Collegij Conuictorũ Societatis
IESV pro tempore Regens.

EPISTOLA PRIMA
BARTHOLOMÆI RVLICHII,
reddita ad ſuperiorem ad ſe datam.

PACEM CHRISTI DOMINI MEI GEſtiens amplector. Vtinam idem fieret ab iis,qui proprium Sectæ ſuæ de *Sacro* J*ESV nomine nomen habent*! Quod voueo, ſi quis locus eſt votis.

Quæritur.

An Baptiſmus Miniſtrorum Euangelicorum verus,& legitimus per verbum DEI probari queat? Multiplicabimus, vel ſaltem diſpertiemur ſecundum diuerſas circumſtantias, & temporum interſtitia, hanc quæſtionem.

I. Vtrum Baptiſmus ab Apoſtolis, eorundem diſcipulis, & ſucceſſoribus, vſq; ad tempora Niceni concilij adminiſtratus, poſſit verus & legitimus per verbum DEI probari?

II. Vtrum Baptiſmus à Miniſtris Romanæ Eccleſiæ adminiſtratus, poſſit verus,& legitimus per verbum DEI probari?

III. Vtrum Baptiſmus ante trecentos annos in Eccleſia adminiſtratus, poſſit verus & legitimus per verbum DEI probari?

Hic autem inſeruntur: ſi celebretur ſub certa verborum formula, quæ in Agendis plerunq; præſcribitur; vt magis eluceſcat,in quo cardo quæſtionis verſetur. Facilè deinde probari poſſe conceditur, ab eo, qui agnoſcat,præter ſcriptum, aliud paris omnino autoritatis & venerationis DEI verbum.

Hinc

Hinc talis ſtatus quæſtionis emergit.

VTrum Baptiſmus, qui ex CHRISTI Seruatoris inſtituto, præceptóq; adminiſtratur, ſecundũ verbum ſcriptũ, non habita vlla ratione TRADITIONVM eccleſiaſticarum non ſcriptarũ, poſſit cenſeri verus & legitimus?

Vel deducatur hoc etiam ζήτημα.

VTrum Sacramentum, quod purè ſecundum verbum, inſtitutúmq; CHRISTI adminiſtratur, ſub illa verborum formula, qua Chriſtus vſus eſt, vel vti juſsit, habendum ſit pro vero, rato, valido, legitimo?

Et quod vltra excreſcit.

FOrtaſsis, ſi diuinare licet, hæc mens quæſtionis eſſe debet, hic ſcopus ad quem collimabis. Vtrum Sacramentum pro vero, legitimo, rato, valido ſit æſtimandũ aliquod, vel quodcunq;, niſi adminiſtretur, vel ea verborum formula, vel ijſdem ritibus atq; ceremonijs, de quibus in verbo DEI ſcripto nihil ſatis liquidum, vel expreſſum habeatur?

Vel etiam plus vltra.

QVærendum tandem videtur. Vtrum Sacramentis CHRISTI inſtituto, præceptóq; adminiſtrandis, plus virtutis, efficaciæ, & dignitatis accedat, è verbo DEI ſcripto, vel non ſcripto? quod TRADITIONEM vocamus.

Loquere nunc, vt te videam, quam Perſonam induas.

HÆc argumento eſſe volui, tum literas ab ignota manu exaratas, eſſe mihi redditas: tum lectas aliquoúſq; nec ingratam fore exercitationem, ſi prius ad hæc, quæ in buccam venerunt, aliquid reſponſi afferatur.

Digitized by Google

Gratia Dei vt multiplicetur miſeris nobis peccatoribus voueo. Auguſta Vindelicorum 23. Iulij. Anni 1615.

Omnibus Chriſto IESV Fidelibus addictiſſimus

Bartholomæus Rulich.

Inſcriptio.

Venerabili Dn: Ioanni Raphaëli Cobenzl, Collegij Conuictorum Societatis IESV Regenti.

Viennam Auſtriæ.

EPISTOLA SECVNDA, AD BARTHOLOMÆVM *Rulichium Auguſtanum.*

Qua ſuperioris epiſtolæ quæſita reſoluuntur omnia, vt ad propoſitam illi quæſtionē reſponſum haberetur.

Erudite Domine Bartholomæe.

Pax CHRISTI.

ACCEPI die 20. AVGVSTI, CVM PASSAVIO redijſſem Viennā, quas ad meas reddidiſti 23. Iulij. Tardiùs vtiq;, quam pro tuo reſcribendi ſtudio, ac diligentia. Et verò ea etiam eſt cauſa, cur ego tardiùs reſcribam. Nec, vt volui citius potui: cum in illam diem Auguſto toto abfuerim domo; tibi proximior Paſſauij &

Oetingæ. Probo autem humanitatem, facilitatemq; tuã, qua & redditas tibi literas ab ignota manu ſignificas: & exercitationem de propoſita quæſtione, vſq; adeò non defugere; vt potius non ingratam fore præ te feras: ſi tamen prius, de quibus inquiſiſti, aliquid afferatur reſponſi.

En autem, quam & ego voluntati tuæ obſecundem: & pollicitationi meæ faciam ſatis. Loquar enim, non vt videas, quam perſonam induerim (neq; enim in re FIDEI ſimulare didici) ſed vt intelligas, quis ſiem in corde. memor omnino Apoſtolici illius: *Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* Loquar ergo vt Chriſtianus, vt Catholicus, vt Romanus, non ſolùm communione FIDEI, quæ commendatur ab Apoſtolo, ſed & χειροτονία, qua plures ante hos annos Romæ in presbyterorũ ordinem cooptatus, & poſtea Apoſtolicæ Romanæ Sedi, cum longiùs ab ea eſſem loco diſſitus, per ſolenne in Societate noſtra Votum ſum deuotus.

Rom: ca: 10, v. 10

1597.

Græcij, 1607.

Et hunc quidem eſſe me præſetulerunt, quas & ad te, & ad Sympatriotam meum, Symmyſtam tuum dedi. vt ſuperuacaneum meritò videatur id expreſſius inculcare. Quia tamen his nõ contentus, loqui me vis, vt videas quiſnam ſiem; parebo tibi, & probabo, cùm explicando propoſitæ tibi ſecundum Sympatriotam meum quæſtionis ſtatum: tum ſingillatim ad tua quæſita reſpondendo: me non perſonam Chriſtiani, Catholici, Romani induere: ſed Chriſtianum, Catholicum, & Romanum eſſe.

Quia verò propoſitæ tibi ſecundum Sympatriotam meum, Symmyſtam tuum quæſtionis ſtatus, aliunde clarius non innoteſcit, quam ex propoſitæ quæſtionis verbis, hic eam tibi ad verbum reddo. Tu ſi libeat cum autographo confer, & judica num ex fide.

Quærebam enim, Quomodo ex FIDE TVA Baptiſ-

Digitized by Google

mum, quem juxta Agendam Auſtriacam adminiſtras, verum & legitimum per Dei verbum probes, qui præter ſcriptum Dei verbum, aliud Dei verbum non probas. Et intellige primùm, quæſiſſe me de homine in Auguſtanam Confeſsioné jurato, qui prope ſuburbia Viennenſia Procerum Auſtriacorum, itidem in Confeſsionem Auguſtanam juratorum, agat Eccleſiaſten: de homine, qui juxta confeſsionem & præſcriptum Agendæ Auſtriacæ Baptiſmum adminiſtret: quomodo ex FIDE ſua, qua vnum duntaxat ſcriptum Dei verbum agnoſcit, non ſcripto penitus à Dei verbo excluſo, probare poſſit Baptiſmum, qué juxta præſcriptum Agendæ Auſtriacæ adminiſtrat, ratum & legitimum CHRISTI Baptiſmum eſſe?

Deinde Agendam Auſtriacam, vtiq; ad Auguſtanæ Confeſsionis amuſſim, quam ſolertiſſimè exactam, præter exteriorem ablutioné, quæ per aquam fit, ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi inſtituti à CHRISTO, vſq; adeo requirere adhiberi ſolitam, quam præſcribit verborum formam, vt abſq; ea ratus, legitimus à CHRISTO inſtitutus Baptiſmus non conſtet.

Ex his planus eſt controuerſæ inter nos quæſtionis ſtatus, ille nimirum: An, & quomodo probari poſſit, non ſimpliciter, ſed ex FIDE TVA, verum, & legitimum, atq; ex inſtitutione CHRISTI Baptiſmum eſſe, qué juxta Agendam Auſtriacam adminiſtras. Ex FIDE inquam TVA, qua ſolum ſcriptum Dei verbum admittas, & præterea credas, vt habet Agenda, ex qua adminiſtras Baptiſmum, ad ſubſtantiam eius à CHRISTO inſtituti, perſcriptam ab illa verborum formam pertinere.

Atq; ego quidé negatiuam partem ex FIDE TVA tutatus ſum, & niſi vehementer fallor, ex eadé probaui: nullo modo probari poſſe, Baptiſmum, quem juxta Agendam

ratum & validum adminiſtras, ratum, validum, & ex inſtituto C H R I S T I Baptiſmum eſſe. probationis meæ illa eſt ſumma. Quod cum ex F I D E T V A aliud quam ſcriptum Dei verbum non admittas: ex hoc autem probare non poſſis adminiſtrandum ſub præſcripta ab Agenda verborum forma (quam tamen Agenda ſtatuit vnà cum ablutione ad ſubſtantiam & eſſentiā Baptiſmi pertinere) planum eſſe ex F*IDE TVA* probari non poſſe, Baptiſmū quem adminiſtras, eſſe Baptiſmum C H R I S T I. conſequenter: quia ſolus Baptiſmus C H R I S T I ratus eſt & validus, probari non poſſe ex F*IDE TVA*, ratum te ac validum adminiſtrare Baptiſmum, cum illum ex Agendæ præſcripto adminiſtras. *Cap. 2. quod eſt de Baptiſmo.*

Non poſſe te autem ex F*IDE TVA*, & ſcripto tantū Dei verbo probare, Baptiſmum C H R I S T I ratum ac validum ſub præſcripta ab Agenda verborum forma adminiſtrandum eſſe, quia id nuſquam reperiatur in ſcripto Dei verbo, ex quo tamen ſolo, juxta F*IDEM TVAM*, ſecluſa & excluſa T*RADITIONE* probandum id eſt; adductis in mediū, quæ ſunt plurima de Baptiſmo in ſcriptura, locis, eſt euidenter oſtenſum. Nullum enim promas, ex quo vel obſcurè deducas, nedum expreſſum habeas, T*RADITIONE* ſecluſa, ſub præſcripta ab Agenda verborum forma tanquam ad ſubſtantiam, & eſſentiam eius ſpectante, adminiſtrandum eſſe Baptiſmum: volue & reuolue omnia, & diſcute ſingula: atq; ſi me jure merito redarguas, herbam me tibi præbiturum polliceor: & quod polliceor volens ac libens præſtabo.

Tantum autē abeſt, vt id aliquando poſſis, vt ἀσύστατα F*IDE TVA* complexus, euertas penitus quod ſemel ſtatueris: & ſtatuas quod euerteris ante. Dum enim ex F*IDE TVA* ſtatuis; Nihil admittendum pro verbo Dei, quod

Digitized by Google

ſcriptum non ſit: qui non euertas, quod ex eadem F*IDE* ſtatuis,& ſcriptũ non eſt: Baptiſmum ſub certa verborum forma, tanquam ad eius ſubſtantiam & eſſentiam pertinente, adminiſtrandum? Rurſus dum ex F*IDE TVA* ſtatuis, Baptiſmum ſub præſcripta verborum forma, tanquã ad eius ſubſtantiam pertinente, quod nuſquam ſcriptum eſt, adminiſtrandum: an non euertis, quod aliâs ſtatuiſti: Nihil velut de F*IDE* admittendum, quod ſcriptũ non ſit?

Ex his autem inuicem ſe euertentibus, quomodo quæſo, vel ego non probem, ex F*IDE TVA* probari nõ poſſe, Baptiſmum, quem adminiſtras ex Agenda Auſtriaca ratum, & legitimum, atq; ex inſtitutione CHRISTI Baptiſmum eſſe? vel tu itidem ex F*IDE TVA* probes, Baptiſmum, quem adminiſtras juxta Agendam tuam, verum & legitimum eſſe Baptiſmum?

Hæc ſufficiant pro explicata quæſtionis inter nos cõtrouerſæ, & quali quali partis negatiuæ, quã propugnandam ſuſcepi vt Chriſtianus, vt Catholicus, vt Romanus, firmamento. Tu, vt pollicitus es, perſpecto ex his quæſtionis ſtatu, & euertendis meis, & propugnandis tuis, exercitationem de propoſita quæſtione, non ingratam tibi eſſe demonſtra.

Ne verò ad reliqua tua quæſita reſponſum deſideres, de ijs breuiter quid ſentiam aperio. Et vniuerſale quidẽ, quod in plura alia diſpertiris, meum non eſt, vt ex ſupra dictis conſtat. Neq; enim ego inquiſiui. Vtrum Baptiſmus Miniſtrorum euangelicorum per Verbum Dei legitimus & verus probari poſſit, qui meam quæſtionem ad F*IDEM TVAM*, & Baptiſmum adminiſtratũ ex præſcripto Agendæ Auſtriacæ adſtrinxi. quanquam vt id meum quæſitũ eſſe concederem, non concederem tamen, te ex ſolo ſcripto Dei verbo probare poſſe, Baptiſmum euangelicorum

Miniſtrorum ratum legitimum, & ex C*HRISTI* inſtitutione eſſe. Inſtrue probationem in contrarium, & mitte, vt diſcutiam; breui excuſſam recepturus.

Ad ſingula verò tuum, in quæ vniuerſale tuum quæſitum diſpertiris, cum ſit eadem omnium ratio, ſit ad ſingula & omnia eadem reſponſio. Primùm quidem, mea non eſſe, ſed tua: nec ad ſtatum quæſtionis noſtræ facere. Deinde nec Baptiſmum ab Apoſtolis & ſucceſſoribus vſq; ad Concilium Nicenum adminiſtratum, nec adminiſtratū ab Eccleſiæ Romanæ Miniſtris; nec ante trecentos annos in Eccleſia adminiſtratum, verum & legitimum probari poſſe per ſolum ſcriptum Dei verbum.

Ex quo enim per ſolum ſcriptum Dei verbum *TRADITIONE* ſecluſa probari non poteſt, ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi conſtare etiam debita, & præſcripta verborum forma, vtiq; probari non poteſt, Baptiſmum, quem etiam Apoſtolus, vel Miniſter quilibet, quocunq; tempore in Eccleſia adminiſtrarit, ſub præſcripta verborum forma, velut ad eſſentiam Baptiſmi pertinente, ratum, legitimum, & ex C*HRISTI* inſtitutione Baptiſmū eſſe. Neq; enim aliter per ſcriptum Dei verbum probari poteſt, Baptiſmum, à quocunq; etiam Apoſtolo C*HRISTI* adminiſtratum, eſſe ratum, legitimum, & ex inſtitutione CHRISTI, quam ſi probetur, Baptiſmum adminiſtratum habere ea, quæ ſint de eſſentia illius, in ſcripto Dei verbo expreſſa. Igitur cum quæ pertinent ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi, ſingillatim, & in particulari verborum forma, qua etiam ſubſtantia & eſſentia Baptiſmi conſtituitur, non habeantur in ſcripto Dei verbo, per ſcriptum duntaxat Dei verbum probari non poteſt, Baptiſmum etiam ab Apoſtolo CHRISTI adminiſtratum, eſſe ratum, legitimū, & ex inſtitutione CHRISTI

Baptiſmum. Eadem ratio eſt de Baptiſmo ab Eccleſiæ Romanæ Miniſtro adminiſtrato. Eadem de Baptiſmo ante trecentos annos in Eccleſia adminiſtrato.

Quartum, quod ſubiungitur, itidem tuum non meum quæſitum, ſupponit, ſcripto Dei verbo expreſſam eſſe inſtitutionem, quoad eſſentialia veri Baptiſmi. Quomodo enim aliter adminiſtretur Baptiſmus ex CHRISTI Seruatoris inſtitutione, præceptoq; ſecundum ſcriptum Dei verbum, niſi in ſcripto Dei verbo habeatur inſtitutio, præceptumq; Baptiſmi, quæ nõ habentur niſi habeatur eſſentialium, & ſubſtantialium eius in ſcripto Dei verbo inſtitutio & præceptum? Haberi autem inſtitutionem Baptiſmi in ſcripto Dei verbo, quoad eſſentialia eiuſ omnia, probari non poteſt: cum probari non poſſit, haberi in eo verborum formam, ſub qua CHRISTI ſeruatoris inſtitutione eſt adminiſtrandus Baptiſmus. Quæſitum ergo tuum ſupponit, vel inuoluit, quod omnino nõ conſtat, ad quod proinde ſic reſpondeo.

Dato quod in eo ſupponis, inſtitutionem Baptiſmi quoad eſſentialia eius omnia haberi in ſcripto Dei verbo; Baptiſmum qui ex CHRISTI inſtitutione, præceptoq; adminiſtretur ſecundum ſcriptum Dei verbum, nulla habita ratione TRADITIONVM non ſcriptarum, non ſolum cenſeri poſſe, ſed etiam verum & legitimum per ſcriptum Dei verbum probari poſſe. Si enim ex inſtitutione, præceptoq; Seruatoris ſcripto Dei verbo expreſſis adminiſtretur; vtiq; verus & legitimus cenſeri poteſt, atq; per ſcriptum Dei verbum, nulla TRADITIONVM nõ ſcriptarum habita ratione, probari.

At verò quia, quod in quæſito ſupponis, vtpote apertè falſum, nullo modo concedendum eſt (minimùm enim verborum forma quæ Baptiſmo etiam per Agendam tuã

eſſen-

eſſentialis eſt, in ſcripto Dei verbo non invenitur) vt modeſtiſsimè loquar, non ſatis pro Magiſterio tuo quæris, quod quæris

Aptius quærreres: Vtrum Baptiſmus, qui ex CHRISTI inſtitutione præceptóq; adminiſtretur, cenſeri poſſit verus & legitimus ex ſolo ſcripto Dei verbo, nulla habita ratione TRADITIONVM non ſcriptarum. Et ad hoc eſt apertum ex epiſtola mea reſponſum: NON POSSE. Cuius illa eſt aperta ſimul & irrefragabilis ratio. Quod inſtitutio Baptiſmi quoad eſſentialia eius omnia, & præceptum, non habeantur ex ſcripto tantum Dei verbo; ſed partim ex ſcripto, partim ex TRADITO, quæ ſunt eiuſdem autoritatis & paris venerationis. Fieri ergo non poteſt, vt Baptiſmus ex CHRISTI inſtitutione & præcepto adminiſtratus, cenſeri poſſit, & probari verus & legitimus ex ſolo ſcripto Dei verbo, nulla habita ratione TRADITIONVM non ſcriptarum.

Quintum item quæſitum tuum, niſi verbum quod interſeris (purè ſecundum verbum CHRISTI adminiſtratur) ad Dei verbum ſcriptum adſtringas, facilem habet reſponſionem. Habendum omninò pro vero, valido, & legitimo Sacramento. Qui enim validum, verum & legitimum Sacramentum non ſit, quod ſecundum inſtitutoris Sacramentorum CHRISTI Domini verbum & inſtitutionẽ adminiſtretur? ſi verò per illud verbum, intelligas ſcriptum duntaxat CHRISTI verbum, idem ſit ad hocce tuum quæſitum, quod datum eſt ad quartum reſponſum. Supponit enim & involuit idem, quod illud, eodem modo reſoluendum.

Ad ſextum, præmiſſa diſtinctione de ritibus in adminiſtratione Sacramenti adhiberi ſolitis: alios eſſentiales, ſine quibus ex CHRISTI inſtitutione Sacramentum non

con-

conſtet: alias eſſe accidentales, ſine quibus conſtet eſſentia Sacramenti. Ex orthodoxia FIDEI NOSTRÆ, hoc Chriſtianæ, Catholicæ, Romanæ reſpondetur: Baptiſmi Sacramentum (de hoc enim quem & vos in Sacramentis annumeratis eſt ſermo) pro vero rato, legitimo æſtimãdum non eſſe, niſi adminiſtretur ſub ea verborum forma, & eſſentiali ritu, de quo in verbo tuo ſcripto nihil ſatis liquidũ, TRADITIONE ſecluſa, nihil expreſſum habetur.

Fides enim Romana, Catholica, & Chriſtiana eſt Baptiſmum ratum, validum, & legitimum non eſſe, niſi adminiſtretur ſub inſtituta & præſcripta à CHRISTO Domino verborum forma, per legitimum Miniſtrum inter baptizandum enunciata. Ergo cum de inſtituta, & præſcripta à CHRISTO D. verborum forma inter baptizandum enuntianda per Miniſtrum, in verbo Dei ſcripto nihil ſatis liquidum, TRADITIONE ſecluſa, nihil expreſſum habeatur; Baptiſmus pro vero, rato, legitimo æſtimari non poteſt, niſi adminiſtretur vel ea verborum forma, vel aliquo ſaltem ritu, de quibus in ſcripto Dei verbo nihil ſatis liquidũ TRADITIONE ſecluſa, nihil expreſſum habeatur.

Deniq;, & ad vltimũ quæſitum tuum, ex FIDE MEA, qua vt Chriſtianus, Catholicus, Romanus profiteor & amplector aliud à ſcripto paris autoritatis, & venerationis TRADITVM Dei verbum, plana eſt reſolutio. Nihil plus virtutis, efficaciæ, & dignitatis accedere Sacramentis, è verbo ſcripto, quam TRADITO. Verbum enim Dei, ex quo habent Sacramenta virtutem, efficaciam, & dignitatem ſuam, eiuſdem eſt in ſe virtutis & efficaciæ. nec variatur ſcriptura, vel TRADITIONE, quibus nobis innoteſcit. conſequenter Sacramentis CHRISTI Domini inſtitutione præceptóq; adminiſtrandis, nihil plus virtutis, efficaciæ, & dignitatis è ſcripto Dei verbo, quã nõ ſcripto, quod TRADITIONEM vocamus, accedit.

Hactenus, vt voluiſti, ex ſenſu animi mei, & FIDE MEA locutus ſum: ac non ſolum propoſitæ tibi à me ſecundum Sympatriotam meum Symmiſtam tuum quæſtionis ſtatum elucidaui; ſed & de quæſitis tuis pronuntiaui liberè quid ſentirem. Tu nunc videas ex illis, non perſonatum Chriſtianum, Catholicũ, Romanum; ſed quod verè ſum, & profiteor, vtinam vel ſanguinis profuſione Chriſtianũ, Catholicum, Romanum. Atq; cum ad quæſita tua nonnihil reſponderim, tu, vt pollicitus es, exercitationẽ de quæſito meo tibi nõ ingratam eſſe viciſſim reſpondendo, demonſtra. Voueo autem & ego tecum, nobis vt miſeris peccatoribus, Dei gratia multiplicetur. Et gratulor amplecti te geſtientem, quam ſat tibi ſum adprecatus ex corde, & hac, & priori epiſtola mea Domini tui pacem, ſimul agens tibi gratias, vouere te, vt idem fiat ab ijs, qui proprium de Sacro IESV nomine, nomen habent.

Nec verere vt ſit locus votis apud nos tuis, vti ego nõ vereor, dum ſpiras, vt ſit locus meis apud Deum pro te votis: quæ vt efficaciora ſint, cognominem tibi Sanctum Bartholomæum, cuius Sacro die feſto maximam horum partem exaraui, & te ex patrio RITV ligaui, Patronum & Aduocatum apud Deum pro te, & me ſupplex adhibui, & adhibebo; impetraturum ſuis precibus, ne ob peccata mea vota mea irrita cadant. Voueo autẽ TIBI VT MIHI, quam mundus dare non poteſt Pacem. Vienna Auſtriæ, ex Collegio Conuictorum Societatis IESV, poſtera poſt S. Bartholomæum die. Anno M. DC. XV.

D. T.

Indignus in Chriſto Seruus

JOANNES Raphaël Cobenzl
Collegij Conuictorũ Societatis
IESV Viennæ Regens.

EPISTOLA PRIMA
AD SIMONEM MANNVM Verbi Miniſtrum in Herenhals.

Qua per incluſa ſuperiorum epiſtolarum exemplaria, eadem eſt illi propoſita quæſtio, vt eius in nos petulantia retunderetur.

Erudite Domine Simon.

Pax CHRISTI.

Pro Concione in feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ habita

TARDIVS INAVDIO, QVAM VOluiſſem: inſultare te nobis, ex verbo tuo PHARISÆIS, qui cum in abſentes vos CHRISTOS petulantiùs inuehamur, vel ad vnius veſtrûm præſentiam penitus obmuteſcamus. ſtitiſſem enim me tibi citiùs, vel in epiſtolis meis ad Symmyſtam tuum, Sympatriotam meum *Ioannem Schnelzigk* datis: & exploraſſem, maior ne tibi, quam illi vis inſit, ad obturandum os, & alligandam manum inquirenti: Quomodo ex FIDE TVA, Baptiſmum, quem juxta Agendam Auſtriacam adminiſtras, verum & legitimũ per Dei verbum probes, qui præter ſcriptum Dei verbum, aliud Dei verbum non probas. ſat autẽ citò, ſi ſat benè. Nolim tamen ita, vt vocalis ego, tua nomenclatura PHARISÆVS, coràm te CHRISTO obmuteſcente appaream: quemadmodum non ſemel, ſed iterũ, atq; iterũ per datas, & hic incluſas epiſtolas meas, apparui coràm *Ioanne Schnelzigk*, cathedra quam tu iam obtines, nõ ita pridem deiecto. Quæ cauſa etiam fuit, vt poſtea per eaſdem epiſtolas Auguſtæ Vindelicorũ ſiſterem me Bartholomæo Rulichio, alteri vtiq; CHRISTO tuo. ſed quem inueni, quia grauius audiat, non ſatis ad propoſitum lo-

quentem. Eius rei teſtis eſt epiſtola ad me data; qua clarã, & diſertam quæſtionem meam, ne aſſecutum quidem ſe oſtendit. tamq; diſparata & aliena quærit, vt potius quæſitis ſuis tempus extrahat, quam faciat pro poteſtate vt obmuteſcam. Illis autem nihilominus reſpondendum fuit: vt haberetur in tempore, vel Auguſta Vindelicorũ, quod Viennæ cum probro veſtro haberi non potuit, ad meam quæſtionem reſponſum. Vide autem, mi Simon, ne quidem ad præſentiam alterius CHRISTI tui, me, vt appellas, PHARISÆVM obmutuiſſe. confido autem fore, vt ne quidem coràm te obmuteſcam. cui me in iſtis hic incluſis omnibus ſiſto, tanta cauſæ confidentia, vt nihil minus fieri poſſe putem, quam vt te de quæſito meo loquente obmuteſcam. Experire: & vbi præter & contra ſpem ac confidentiam meam voti compos factus fueris, confidenter me PHARISÆVM coràm te CHRISTO obmutuiſſe proclama. Quod ſi tu obmuteſcas, expecta viciſſim proclamandũ itidem ex cathedra; obmutuiſſe te CHRISTVM. Hæc quidem, ſi ex FIDE TVA loquêre. ſi autem ex FIDE CHRISTI, & per te CHRISTVS benedictus; reuerentia verbi volens ac libens obmuteſcam: in eo tantum vocalis, vt CHRISTO pro te, ac tuis, per quos loloquetur verbum ſuum accinam. Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire: & mutos loqui. Hiſce vale in Domino, & Loquere. Vienna ex Collegio Conuict: Societatis IESV, 7. Septemb. M. DC. XV.

D. T.

Indignus in Chriſto Seruus

Joannes Raphaël Cobenzl
Societate IESV Collegij Cõuictorum eiuſdem Societatis pro tempore Regens.

EPISTOLA SECVNDA AD EVNDEM.

Qua exigitur ad primam reſponſum.

Erudite Domine Ioannes.

Pax CHRISTI.

IN ALTERVM IAM MENSEM EXSPECTO, quod non das, & promiſiſti reſponſum. quî id fiat neſcio. hoc ſcio, quod præ te tuliſti, cum acciperes epiſtolam de manu mea, paratum te ad ſatis factionem omni poſcenti rationem, de ea quæ in te eſt ſpe, nequaquam hactenus exhibuiſſe. Non eſt autem cur vlterius tuas excuſes occupationes; vti iam tum ſi differres aliquantulum, excuſari petebas. Nimium enim differs; nec meminiſti, ex quo in cathedra es collocatus Magiſter, tuáq; perſuaſione CHRISTVS, incumbere tibi illam in primis occupationem, vt ſatis factionem des omni, ac proinde & mihi verbo tuo PHARISÆO, poſcentite rationem, de ea, quæ in te eſt, ſpe. quo ſanè, & præiudicia quæ ſunt Magnorum de te confirmas: Non reſponſurum, quia non ſit quod reſpondeas: & euacuas gloriationem tuam: Nos PHARISÆOS petulanter in vos abſentes garrulos, vel ad vnius veſtrûm tanquam CHRISTI præſentiam, obmuteſcere: qui corâm me P*HARISÆO*, Magnus tuorum C*HRISTVS* obmutuiſti. Obmuteſcere te autem Magiſtrum FIDEI, in fundamento & Sacramento FIDEI, quia quod reſpondeas non habes, ſi per te non æſtimas, vel me ſuggerente, quantum, & quale ſit, æſtima.

Silentio enim hoc tuo quauis tuba ſonâtius inclamas: Te ex F*IDE TVA* probare non poſſe, Baptiſmum, quem juxta tuam Agendam adminiſtras, verum & legitimum eſſe Baptiſmum. imò ex eadem F*IDE TVA* Baptiſmum,

quem adminiſtras ſecundum Agendam tuam, non eſſe Baptiſmum CHRISTI. vtrumq; epiſtolis meis ad Symmyſtas tuos datis, & tuæ incluſis probatum eſt. quod cum non refellas, quia non potes, nimiùm quantum vocali tuo ſilentio, mihi concedis.

Extorquet id autem plena vtriuſq; probatio, quam hic ſummatim repeto, vt & me adhuc vocalem intelligas. & etiam num probem, an ad præſentiam tuam obmuteſcam. Ex FIDE enim tua non probas, niſi quod ſcriptum eſt: Non eſt autem ſcriptum, Baptiſmum quem juxta Agendam Auſtriacam adminiſtras, eſſe verum & legitimũ, quia nuſquam ſcriptum eſt, quod habet Agenda tua: Baptiſmum ſub prę́ſcripta ab illa verborum forma vti eſſentiali adminiſtrandum eſſe. Ex FIDE ergo TVA non probas, Baptiſmum, quem adminiſtras juxta Agendam tuam, verum, & legitimum eſſe Baptiſmum.

Rurſus ex *FIDE TVA* Baptiſmus CHRISTI nõ eſt, niſi quem ſcriptum eſt eſſe Baptiſmum CHRISTI: Non eſt autem ſcriptum eſſe Baptiſmum CHRISTI, quẽ juxta Agendam tuam adminiſtras: quia itidem ſcriptum non eſt, Baptiſmum CHRISTI ſub præſcripta ab illa verborũ forma adminiſtrandum: ergo ex eadem *FIDE TVA* Baptiſmus quem adminiſtras juxta Agendam tuam non eſt Baptiſmus CHRISTI.

Liquidæ ſunt planæq; probationes, & in quibus nihil deſideres aliud, quam vt probetur, nuſquam eſſe ſcriptũ, verum & legitimum CHRISTI Baptiſmum ſub præſcripta ab Agenda verborũ forma vti eſſentiali adminiſtrandum. Id autem excuſſis propè ſingulis quæ ſunt de Baptiſmo locis, prima mea epiſtola ad Symmyſtam tuum Sympatriotam meum I*oannem Schnelzigk*, ad oculum eſt demonſtratum. & in ea quæ eſt ad Auguſtanũ *Rulichium*,

tibi itidem à me communicata ſufficienter ex eo probatũ, quod nullum afferas, vel afferre poſſis locum, quo id ſecluſa TRADITIONE, & quæ eſt ſecundũ TRADITIONEM intelligentia euincas.

Aude verò plus, quam auſint Symmyſtæ tui duo, quos de hoc ante te appellaui: & affer quod me redarguat. auditurus aliâs quo meritò cohorreſcas; & tinniant tibi ambæ aures tuæ.

Si enim ex FIDE TVA non probes, quia non poſſis, Baptiſmum quem juxta Agendam adminiſtras, verum eſſe & legitimum. imò ex eadem FIDE TVA Baptiſmus quem adminiſtras non ſit Baptiſmus CHRISTI: quoniã alio vtiq; non es baptizatus Baptiſmo, nec alio Baptiſmo baptizas alios, ex FIDE TVA nõ es verè legitimè baptizatus, nec alios vero & legitimo Chriſti Baptiſmo baptizas.

Addo ex eadem FIDE TVA, vnâ tecum vero CHRISTI Baptiſmo baptizatos non eſſe, quotquot hoc & ſuperioribus ſeculis omnibus, ex præſcripta etiam ab Agenda tua Baptiſmi formula ſunt baptizati. Id autem ſi ego abſq; horrore ſcriberem, quauis rupe me inſenſibiliorem exiſtimarem. Tu vide vt hæc ad oculos, & aures admittas.

Audi porro, ſi Baptiſmus, quo baptizatus es, & quo baptizas alios, ſecundum Agendam tuam Baptiſmus CHRISTI non eſt, vt ex FIDE TVA probatum eſt: ergo nec tu, nec ij, quos baptizas, nec in vniuerſum alij, qui eodem Baptiſmo baptizati ſunt, eſſe poſſunt, vel eſſe potuerunt in Eccleſia CHRISTI: in qua vtiq; non ſunt, niſi ingrediantur per Baptiſmum CHRISTI, qui ſolus eſt janua ad ingreſſum in Eccleſiam CHRISTI.

Ad hæc, quia Eccleſia CHRISTI ſolis conſtat baptizatis Baptiſmo CHRISTI, ex FIDE TVA, nec te, nec quibuſuis alijs, ſiue à te, ſiue ab alio baptizatis ſecundum

Agen-

Agendam tuam, conſtabit Eccleſia C*HRISTI*: vtpote ex F*IDE TVA* non baptizatis Baptiſmo C*HRISTI*.

Deniq; vt mittam alia, quæ adducere & deducere poſſem: ſi ex F*IDE TVA* Baptiſmus, quem adminiſtras, non eſt Baptiſmus C*HRISTI*; ſi ex eadem F*IDE TVA* baptizati Baptiſmo quē adminiſtras eſſe non poſſint in Eccleſia C*HRISTI*, in qua nō ſunt niſi qui in eam ingreſſi ſunt per Baptiſmum CHRISTI: Ad extremum, ſi Eccleſia C*HRISTI* non conſtat baptizatis Baptiſmo ex Agenda tua adminiſtrato, quæ nō conſtat niſi baptizatis Baptiſmo CHRISTI: ex FIDE TVA deſperata eſt tua, tuorumq; ſalutis ſpes. & quicquid præ te feras, eſſe non potes paratus ad ſatisfactionem vlli poſcenti te rationem, de ea, quæ in te eſt, ſpe. Audi enim veritatem de Baptiſmo ſuo, qui vtiq; ex FIDE TVA non eſt, quem juxta Agendam tuam adminiſtras, pronuntiantem: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan: 3. v. 5.* Et proinde, vt deſperatam ex FIDE TVA, deploratamq; ſalutis tuæ ſpem, & tuorum; ex FIDE MEA recuperes. dum ſpiras.

Benigniorem aduerte in te, tuosq; licet alieniſſimos FIDEM MEAM. qua ex verbo T*RADITO*, paris cū ſcripto autoritatis, & tuum ex Agenda adminiſtratum Baptiſmum, vti Baptiſmum C*HRISTI* probat: & te tuosq; eo baptizatos, verè baptizatos agnoſcit. & qua baptizati ſunt ingreſſos Eccleſiam C*HRISTI*, habere vi Baptiſmi ſalutis & felicitatis æternæ ſpem; de qua omni poſcenti ſe rationem, dare poſſint ſatisfactionem.

Et ego quidem pro te tuisq;, nedum pro me libenter darem, ſi poſceres: quia non poſcis, non obtrudo: contentus obtinere à te, quod ex promiſſione mihi debes. quanquam vel eo etiam nomine debere te mihi putem,

vt ex

Digitized by Google

vt ex F*IDE TVA* ingeneratam mihi conceptionem, & opinionem, in alios quoq; propagandam euellas. Te, quia ex F*IDE TVA* baptizatus non ſis, Chriſtianum non eſſe: nec alios facere C*HRISTIANOS*, quia illos Baptiſmo CHRISTI non baptizes. Et quia C*HRISTIANVS* non ſis, nec baptizatus Baptiſmo C*HRISTI*, non eſſe te in Eccleſia C*HRISTI*, nec in ſpe ſalutis, quam tribuit in Eccleſia baptizatis Baptiſmus C*HRISTI*.

Nolim autem te opinari, opprobrantem me tibi hæc ſcribere. non opprobro, ſed miſeror ex corde: ſcriboq;, vt horum ex F*IDE TVA* commonefactus, aduertas ad FIDEM per quam damnaris in his, quæ meritò probroſa tibi æſtimes & exhorreſcas. Quod ſi te hiſce plus æquo grauari putes, & habes quod reſpondeas, E*PHETHA*, quod eſt A*DAPERIRE*: & ita reſponde, vt nec captum te ex F*IDE TVA*, demonſtres; nec coràm me P*HARISÆO* obmutuiſſe te CHRISTVM. Loquere ergo quæ decent ſanam doctrinam, & vale. Vienna ex Collegio Conuictorum Societatis IESV, die 25. Octobr: Anni: M. DC. XV.

D. T.

Indignus in Chriſto Seruus,

JOANNES RAPHAEL
Cobenzl è Societate IESV,
Collegij Conuictorum eiuſdem
Societa: pro tempore Regens.

EPISTOLA SECVNDA *BARTHOLOMÆI RVLICHII AVGVSTANI.*

Qua alteri ad ſe datæ reſpondet.

Pax CHRISTI JESV habitet in nobis abundanter. Amen.

Iure ſuos vrgent etiam mea Fata labores:

TARDIVS IGITVR, QVAM PRO VTRIuſq; voto manum ad ſcribendũ applicui. Ne quid mireris, quod vberiorem quæſtionis propoſitæ explanationem petierim; eo factum eſt, quod de Agendis Auſtriacis nihil omninò conſtaret: pluſculum aliquanto reſpondere potuiſſem de Baritham & Goa Emporijs Indicis celeberrimis. Quam igitur præſcriberet verborum formam noſſe qui poteram? Quam exactè ad amuſſim confeſsionis Auguſtanæ conueniat, incertum fiebat ex eo; quod procul dubio eadem forma ex prçſcripto vterentur, tam qui nobiſcum per omnia conſentiunt verbi diuini Miniſtri, quam qui in non nullis à nobis diſsentiunt, vel per *Flaccij* vel *Caluini* dogmata prauis opinionibus imbuti. quorum non nullos à Proceribus Auſtriacis hactenus pro ſinceris Doctoribus receptos, & habitos eſſe, nemo puto inficias ibit, qui ſtatum Eccleſiarum iſtarum propius cognorit. Ego tamen aliam formam verborum non præſcriptam eſſe puto, quam ea eſt, quam Dominus clariſsimis verbis expreſſit, dicens diſcipulis Matth: 28. verſ. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

In eo deniq; quod tam clarè explicas, non malè gratioſi Raphaëlis officio fungeris, dum oculis primo intuitu non nihil cœcutientibus, collyrium eiuſmodi appli-

cas, vt quibus nebulæ modo incipiebant pedetentim diſcuti, & diſparere, nunc clarè perſpiciant, & quid quæras, & quorſum tendas. clarum enim fit, nec eo inficias, me Dauum non Oedipum fuiſſe; vel ex ipſo ordine quæſitorum in Chartam congeſtorum, quod mentis oculi primum hebetiores, paulo poſt in cogitationum progreſſu magis magiſq; perſpicaciores redditi propius ad ſcopum tuum collimarint: & iam planè aſſequantur, quis cardo ſit propoſitæ quæſtionis. pro quo officio benignè præſtito habeo condignam, vt debeo, gratiam. Nunc ad rem.

De Agendis inuiſis (eo quod maiore interdum interuallo diſcrepent quam pro locorum diſtantia) & nondum viſis, quid affirmem vel negem, non habeo, ne temeritatis notam incurram. cauſam præbes, vt conquiram Auſtriacam Agendam, ſicubi nanciſci potero. De F*IDE* vel *MEA* vel *TVA* verbum fieri nullum volo. priuata enim eſſe non debet, pro vnius cuiuſq; arbitrio, ſed publica; præſertim in hoc ſenſu, vbi pro Religione ſumitur. In re FIDEI ſimulare nefas duco: captiones, luſus ingeniorum, Sophiſticam, & Logomachias abominor. Diſceptabimus quaſi coràm tribunali ſupremi Iudicis & Domini, cui nos ſeruire vterq; videri volumus, & quamuis indigni, gloriamur.

Si quæratur: An, & quomodo ex ſolo ſcripto Dei verbo probari poſſit, ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi à CHRISTO inſtituti præſcriptam à Domino verborum formam pertinere. Poſſe aio, & probaturũ me ſpondeo.

At ſi hic eſt propoſitæ quæſtionis ſtatus.

An, & quomodo probari poſſit, non ſimpliciter, ſed ex FIDE MEA, verum & legitimum atq; ex inſtitutione C*HRISTI* Baptiſmum eſſe, quem juxta Agendam Auſtriacã miniſter aliquis verbi diuini adminiſtrat? Ex FIDE

autem

autem (inſeritur) MEA, qua ſolum ſcriptum Dei verbum admitto, & præterea credo, vt habet Agenda, ex qua adminiſtratur Baptiſmus, ad ſubſtantiam & eſſentiam eius à CHRISTO inſtituti præſcriptam ab illa verborum formã pertinere. Hic multa videntur vt ſubdolè poſita, inſerta, reſecanda & reijcienda, quæ nec quicquam ad Baptiſmum ex ſe conferunt, vel ab eodem ſubtrahunt. Iſtis tricis vt me expediam ſic explico.

Dum ponitur (non ſimpliciter) omninò præſupponitur vt conceſſum, poſſe probari verum eſſe & quidem CHRISTI Baptiſmum, qui ſecundum præſcriptum verbi diuini à Miniſtro verbi adminiſtratur. atq; inde ratum, legitimum, & validum.

Quod autẽ additur ex FIDE MEA, & de forma verborum ab Agenda aliqua præſcripta; hæc non ſunt paris vel tanti momenti, & ponderis, vt veritatem Baptiſmi & efficaciam aut valorem vel augeant, vel minuant. Non enim FIDES MEA validum aut infirmum reddet. Non item Agenda hæc, vel illa verum reddet Baptiſmum, aut non verum quatenus Agenda, vel quatenus, formam verborum enuntiandorum in Sacramento Baptiſmi præſcribit: ſed quatenus Baptiſmum adminiſtrare docet, & præcipit ſecundum inſtitutionem, & formam verborum à CHRISTO præſcriptorum.

Et quorſum attinet aut neceſſe eſt, hæc ipſa ex ſolo ſcripto verbo probari debere, vt Baptiſmus ſic adminiſtratus ſit verus & validus CHRISTI Baptiſmus. cum non alius inſtituatur, non alius exerceatur, non alius adminiſtretur niſi CHRISTI Baptiſmus. quem vnicum & ſolũ ratum eſſe & validum concedis.

In eo, quod aſſeris me non poſſe ex FIDE MEA, & ſcripto tantum Dei verbo probare, Baptiſmum CHRISTI

ratum & validum ſub præſcripta ab Agenda verborũ forma adminiſtrandũ eſſe, quia id nuſquam reperitur in ſcripto Dei verbo: videris ludos facere, qui non decent virum pium & Chriſtianum. Quomodo enim ſcriptum nõ eſt? Baptizandos eſſe in *nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, licet non ſcriptũ extet, de hac vel illa Agenda. Non enim Agendæ Eccleſiarum noſtrarum vſquam recedunt ab illa forma verborum Domini: nihil immutant de ſuis verbis: nihil affingunt: ſed tantum verbis CHRISTI in Euangelio deſcriptis inſiſtunt & inhærent. Perinde igitur ratus & validus eſt Baptiſmus, & quidem CHRISTI Baptiſmus eſt, ſiue è præſcripto Auſtriacæ, ſiue Auguſtanæ, vel alius Eccleſiæ conferatur: modo & CHRISTI inſtituto, & verbis ab eodem expreſſis adminiſtretur.

Nec FIDES MEA in hanc, vel illam Agendam innititur; ſed in CHRISTI inſtitutionem, & promiſſionem, in formam etiam verborum à CHRISTO prolatorum, in quacunq; ſane Agenda illa præſcribantur, & commendentur.

Idem etiam facere videris in verbis illis: Baptiſmum ſub præſcripta verborum forma tanquam ad eius ſubſtantiam pertinente adminiſtrandum, quod nuſquam ſcriptũ eſt. In quibus iterum vrges demonſtrandum eſſe in ſcripturis: Baptiſmum ſub præſcripta &c. non te dignũ facis. Nec opus eſt iſta demonſtari ad literã ita ſe habere. ſufficit Baptiſmum adminiſtrare ex CHRISTI inſtitutione, & eadẽ illa verborũ forma, qua vti juſſit, & eo nos in Agendis eccleſiaſticis deduci. Idem igitur tam apud nos, quam apud vos, & vnus adminiſtratur Baptiſmus, eiuſdẽ omninò vtrobiq; valoris & roboris, eiuſdem dignitatis & autoritatis, eiuſdem ſubſtantiæ & eſſentiæ, eiuſdem operationis & efficaciæ. Niſi vbi quicquam immutatum de-

monſtra-

monſtrabitur. Siquidem vnus eſt DOMINVS: vna FIDES: vnum BAPTISMA. Epheſ: 4. v. 5.

Aſſeris, quod inſtitutio Baptiſmi quoad eſſentialia eius omnia & præceptum, non habeantur ex ſcripto tantum Dei verbo; ſed partim ex ſcripto, partim ex TRADITO, quæ cenſes eiuſdem eſſe autoritatis,& paris venerationis. Vide quæſo quo tendas? Aut enim Saluator integrum inſtituit Sacramentum,& juſſit conferre Apoſtolos credentibus, aut mutilum: quod & iſti poſtea cõtulerunt. cum alia non fuerit TRADITIO, aut Eccleſia, à qua informationem aliam petere potuiſſent: & per conſequens, qui ab Apoſtolis ad præceptum Chriſti baptizati ſunt, aut integrè baptizati ſunt, aut imperfectè Baptiſmum acceperunt, ſi non omnia eſſentialia in verbo ſunt deſcripta, & per os Domini Auctoris inſtitutorisq; huius Sacramenti prolata. Sufficere nobis debent,& certè (ſi quid ego iudicare poſſum) ſufficiunt verba CHRISTI ad Apoſtolos: Niſi tu trinam ablutionem non expreſſam eſſe inferas, quam in vocabulis Patris,& Filij,& Spiritus ſancti præſuppoſitam ego ſentio, quibus vnicâ ablutione ſatisfactum non eſſet.

Nec hoc largiri cuiquam poſſum, quod tamen pro certo ſumitur,de inſtituta & præſcripta à CHRISTO Dn: verborũ forma inter baptizandum enuntianda per Miniſtrũ,in verbo Dei ſcripto,nihil ſatis liquidũm,TRADITIONE ſecluſa, nihil expreſſum haberi. Quia ſatis liquidò, & expreſsè ſignificauit Saluator, qua verborum forma Baptiſmus ſit peragendus, vel adminiſtrandus. In Patris enim nomine baptizari non poteſt aliquis mentaliter, niſi expreſſo nomine Pater pronuntietur ſimul & inuocetur.

De verbo Dei ſcripto & TRADITO, quod paris ſint autoritatis & venerationis; & nihil plus virtutis, & effica-

Digitized by Google

ciæ, & dignitatis Sacramentis accedat ex ſcripto Dei verbo, & TRADITO, capere ego nequeo: dum obſtant diræ imprecationes ſanctiſſimi codicis Apoc: 22. v. 18. *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Non eſt quod tantum explices de libro Apocalypſeos, cum & in Moiſe talia habeantur: & ita poſtrema cum primis conueniant. Deu: 12. v. 32. *quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Hoc certè in omnibus diuinis ſanctionibus obſeruandū ſtatuo, ſiue ad vetus, ſiue ad Nouum teſtamentum referantur.

Hæc pio & candido animo reſpondere ad tuas R. D. Joannes Raphaël volui: vt potui: nec tempus plura admittebat, quod nouis occupationibus me obruebat. Tu boni conſules, pióq; & Chriſtiano animo accipies, quod obteſtor. ſi non pro Magiſterio ſpecimen dedi, ſaltem locum aliquem inter ſtudioſos Theologiæ vel te cenſore merebor. Si quid reſtat, & deſiderabitur, aliquando curabitur, vt voluntati tuæ ſatisfiat, ſi valere & viuere contigerit, quod tibi quoq; à Deo Opt. Max. precor. Auguſtæ Vindelicorum 14. Octobr. 1615.

M. Bartholomæus Rulich.

Inſcriptio.

Reuerendo Dn: Ioanni Raphaëli Cobenzl, Societatis IESV Conuictorum Regenti.

Viennam Auſtriæ.

EPI-

EPISTOLA TERTIA
AD BARTHOLOMÆVM
Rulichium, Auguſtæ verbi Miniſt:

Et eſt reſpõſoria ad ea, quæ ipſe, altera ad me ſua.

Erudite Domine Bartholomæe.

Declinet ſuper te Dominus quaſi fluuium PACIS, pro eo quod tam ex corde cum Apoſtolo voueas, vti Pax CHRISTI habitet in nobis abundanter.

NON TARDASTI AVTEM, VT EXcuſatione ſit opus: & accepiſſe te pro voto vberiorem de propoſita quæſtione explanationem, vti mihi gaudeo; ita gratulor tibi. Miror autem eo te illam expetiuiſſe, quia vt ſcribis, de Agendis Auſtriacis nihil omninò conſtaret tibi: vnde & de verborum forma, quã Agenda Baptiſmo præſcriberet, non potueris noſſe.

Non potuiſſe non ſcire, quæ eſſet ab Agenda Auſtriaca verborum forma Baptiſmo præſcripta.

Primùm enim, de forma quam præſcriberet, & quod conſequens eſt de Agenda quæ præſcriberet, quantum in rem noſtram erat nimium quantum nouiſti ex epiſtola, quam ad Sympatriotam meum, Symmyſtam tuum dedi, & communicaui tecum. Ea enim prolixè contendi, ex FIDE TVA, qua nihil quod ſcriptum non eſt recipias, probari non poſſe; præſcriptam ab illa verborum formã, Baptiſmo CHRISTI adhibendam eſſe. vt proinde vel ex illa pluſculum aliquanto de Agendis Auſtriacis, verborumq; forma, quã in Baptiſmo vſurpandam præſcribant, reſpondere potueris: quam contra, quàm ſcribis, de Bartham & Goa Indicis emporijs.

Niſi fortè hiſtoricorum, quos legiſti, de illis tibi fides certa ſit, mea apud te vacillet: & ſuſpicère, veſtris me affingere per calumniam quod impugnem. Abſit autem vt ſim tã profligati pudoris: & ex trita paſſim Agenda promam, quod in illa non legas. meq; FALSI CRIMINE obſtringam, de quo non ita pridem Jacobum Heilbrunnerum Symmyſtam tuum Neoburgi; & ante hos annos in Gallia Pleſſæum Caluiniſtam conuictos inaudij. Noſtros quia FALSI TESTES rei ſint, hactenus redaguros non audij: nec audiam ſpero.

Deinde qui obſecro pluſculum aliquanto reſpondere poſſis de Bartham & Goa Indicis emporijs, quã de Agendis Auſtriacis, & verborũ forma, ab illis Baptiſmo CHRISTI præſcripta: qui ex Niceno fateris vnum Baptiſma, & ex Apoſtolo *vnum DOMINVM, vnam FIDEM, vnum BAPTISMA confiteris*? Nunquid vnitas fidei, quã profiteris, tantam doctrinæ & cultus à CHRISTO præſcripti diuerſitatẽ patitur, vt alius ſit Auguſtanis Baptiſmus, quia forma verborum alia: alius Auſtriacis in eandem fidem juratis? Nunquid eadem vnitas fidei, eam aduerſitatem & diuerſitatem Agendorum ex præſcripto CHRISTI & eſſentialium illis admittit, vt quod Auguſtana præſcribit à CHRISTO præſcriptum, Agenda reiectet Auſtriaca, vti nõ præſcriptum à CHRISTO?

Nobis certè catholicis ex vnitate fidei quam profitemur, idem Baptiſmus eſt, eadem eſſentialis illi à CHRISTO præſcripta verborum forma: eadem notitia de reliquis Agendis omnibus, eadem fide participantibus, quæ eſt de vna ſola: quod quidem attinet ad ea, quæ præſcriptum à Deo cultum & eſſentiam Sacramentorum concernant. De his enim quod vna docet, reliquæ docent: & quod reliquæ omnes docent, vnaquælibet ſeorſim ſumpta docet.

vt proin-

vt proinde nullo modo ignorare poſſis, quod reliquæ de præſcripto à Deo cultu & Sacramentis doceant; ſi noueris quid vna doceat, eiuſdem fidei cum illis: dum tamen noueris vnam illam eiuſdem eſſe fidei cum illis.

Ex his autem vide quid inferam: Te, aut ex Agenda tua, quæ ſit eiuſdem cũ Auſtriacis fidei, quod ſignificaui, pluſculum aliquanto de illis reſpondere potuiſſe, quam de Baritham & Goa Indicis emporijs: maximè cum ſcribas: Eccleſiarum veſtrarum Agendas, nuſquam recedere ab illa forma verborum Domini: nihil immutare: de ſuis verbis nihil affingere; ſed tantum verbis CHRISTI in Euangelio deſcriptis inſiſtere, & inhærere: aut opinatum, Agendam tuam, & Auſtriacas, ex quarum illa de hiſce nihil noſſe potueris, quod quidem attinet ad ea, quæ cultus præcepti ſunt, & Sacramentorum eſſentiam, eiuſdem fidei & doctrinæ non eſſe: & quod hinc eſt conſequens: Auguſtanam veſtrâm Eccleſiam, & Auſtriacas cum illa communicantes, vnam fidem non habere. Iniurius autẽ in te ſim, ſi hocce poſterius, cum injuria Illuſtriſsimorum ordinum Auſtriæ in veſtram confeſsionem juratorum, te mihi conceſſurum expectem. Illud ergo dabis abſq; injuria tui: vel hoc etiam nomine, quod vt habent Morales & Theologi: *Nemo ſit iniurius in ſeipſum.*

Quanquam legam aliquid in tua, quod ni aliter interpretère, poſtulari poſſis iniuriarum. Ais enim: neminem qui ſtatum Eccleſiarum in Auſtria propius cognorit, iturum inficias, nonnullos verbi Miniſtros, vel per *Flaccij* vel *Caluini* dogmata prauis imbutos opinionibus, à proceribus Auſtriacis, pro ſinceris Doctoribus receptos, & habitos eſſe. Vt id enim tibi de Procerum Auſtriacorum vno vel altero concedam; certè de Proceribus communiter ipſi tibi vſq; adeo non concedant, vt ſi id ſentias & edicas,

Digitized by Google

meritò iniuriarum poſtuleris ab ipſis. Et reuincant te facilè, vel nupero facto ſuo. Audi.

Venit æſtate ſuperiori Diſteldorpio Viennam *Georgius Meier:* & obtinuit vnâ cum Symmyſta tuo *Ioanne Schnelzigk*, Sympatriota meo cathedram in Herenhals. Vix autem tertiùm aut quartùm conſcenderat, & à Collega ſuo, Symmyſta tuo, ex eadem cathedra propalàm audit C*ALVINISTA*. Et fuêre Neoburgo literæ omni exceptione Maiorum: *Georgium Diſteltorpij* egiſſe Miniſtrum Caluinianum annis aliquot: poſtea facto ad vos tranſitu ex eadem cathedra biennium Lutherizaſſe. Quid ad hæc *Georgius*? tutari ſe infitiatione obiectorum, & prætexta, quam doceret propalàm, & priuatim Auguſtana confeſsione: Interuenêre autem ad quos ſpectabat: & Accuſatorem quidem ſuſpenderunt à Miniſterio; poſtulatum autem ablegauêre, vt Caluiniſmi notam, & infamiam purget. Ita mi *Domine Bartholomæe*, pro ſinceris Doctoribus habent & recipiunt Auſtriaci Proceres, quos vel fama ſit per *Caluini* dogmata prauis opinionibus imbutos. Mitto verò hæc, & vnde digreſſus ſum redeo, atq; ex verbis tuis euinco, ignorare te non potuiſſe, quã præſcriberet Agenda verborum formam Baptiſmo.

Si enim noſti, vt ſcribis, dubio procul eadem vti forma ex præſcripto Miniſtros in Auſtria, tam qui vobiſcum per omnia conſentiunt, quam qui in nonnullis diſſentiunt à vobis, vel per *Flaccij*, vel *Caluini* dogmata prauis opinionibus imbuti; quia non poteras non noſſe, qua forma vterentur, qui per omnia vobiſcum cõſentiunt (neq; enim poteras non noſſe, qua ipſe tu vterere, in cuius vſu ex Agendæ præſcripto illi tecum conſentiant) non poteras non noſſe, quam Agenda formam præſcriberet. Et quia, vt ſcribis, eadem forma procul dubio vtuntur etiam ex

præſcri-

præſcripto ij, qui à vobis in nonnullis diſſentiunt, eo ipſo quod hoc procul dubio noueris, nouiſti quam Agenda præſcriberet Baptiſmo verborum formam.

Deniq; ſi eſt, quod ſcribis, & ſupra attuli: Agendas Eccleſiarum veſtrarum nuſquam recedere à forma verborum Domini: nihil immutare: de ſuis verbis nihil affingere; ſed tantum CHRISTI verbis in Euangelio deſcriptis, inſiſtere, & inhærere: an non hoc ipſo, quod intellexiſti quæri de formâ verborũ, quam Agenda Eccleſiæ veſtræ in Auſtria præſcriberet, intellexiſti de quanam verborum forma Baptiſmo præſcripta inquirerem?

Ex his autem illud deduco: certum te eſſe potuiſſe: quam vel in præſcripta verborum forma Baptiſmi conueniat, ad amuſſim Auguſtanæ confeſsionis Agenda Auſtriaca. Quod autem dubites, an in reliquis exactè conueniat, vide ne per hoc in Symmyſtas tuos Auſtriacos, qui per omnia tecũ conſentiant ſis iniurius. Vſus enim Agendæ publica eſt ea vtentium Fidei profeſsio. vt proinde ſi merito dubitas, an Agenda Auſtriaca ad amuſsim Auguſtanæ confeſsionis, quæ tibi vnâ vera fides eſt conueniat: merito dubites, an Auſtriaci Symmyſtæ tui dum Agenda ſua vtuntur, publicam edant veræ Fidei confeſsionem. De hoc autem meritò dubitans, quia juxta Apoſtolum, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*: meritò dubitas de tuorum in Auſtria Symmyſtarũ Agenda ſua vtentium ſalute.

Agant autem de hoc ipſi tibi gratias, qui non minus quam tu, & eſſe, & videri volunt Auguſtanam confeſsionem profeſsi: certè ex præſcripto Agendæ ſuæ, non minus quam tu ex præſcripto Agendæ tuæ, quæ haud dubiè exacta ſit velut ad amuſſim ad Auguſtanam confeſsionem, vera & à Chriſto præſcripta verborum forma vtuntur.

Neſcio autem an illi, vt tu clariſsimis à CHRISTO verbis expreſſam aſſerant, *matth: 28. v. 19.* certè nō probent, nec perſuadeant habenti oculos vt legat, & intellectum, vt quod legerit, intelligat. Habens enim oculos vt legat, & intellectum vt intelligat, quod legerit, nihil aliud ibi tecum legat, & ex clariſsimis CHRISTI verbis intelligat, quam expreſſum CHRISTI præceptum, vt Apoſtoli omnes gentes doceant, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, expreſſam autem verborum formā, ſub qua enuntianda præcipiatur vt baptizent, quia expreſſa non ſit, nō legat, nec expreſſam intelligat. Legat enim hæc tantum: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, illa quia expreſſa non ſint, vt inter baptizandum enuntient baptizare ſe *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non legat. Donec autem hæc aut ſimilia non legat, quia expreſſa non ſint, in clariſſimis illis quæ legit, non legat expreſſam à Domino verborum formam, quam inter baptizandum enuntiare ſit neceſſe.

Vide autē mi Domine ne dum quod ſcriptum nō eſt, tibi vt clariſsimis à CHRISTO verbis expreſſum legere videris, non ſolum ad quæſtionem meam primo excutiueris; ſed & tuam tibi phantaſiam etiam nunc illudere patiaris. Idem autem epiſtolarum mearum collyrium, quod à me, vt ſcribis, per gratioſi Raphëlis officium applicatum tibi, oculos ad illam aperuit, phantaſiam quoq; vt corrigeret efficax erat. Fortaſsis autem applicatum tibi, ſemiſopitus amoueris, vt vim ſuam, quam poterat, non exeruerit. Ergò poſt paulo, quia res fert, aptius illud applicabo tibi, & efficacius. Optem euentu feliciori!

Non reſecanda quæ reſecari voluiſti ab quæſtione quia faciant ad quæſtionem.

Tecum autem ad rem venio. & miror, poſtquam ad quæſtionem apertos tibi ſcribis oculos, videre te in ea, quæ, vtpote ſub dolo poſita, & inſerta, reſecanda tibi ſint & reijcienda: quæq; nihil ad Baptiſmum conferant, ſubtrahant nihil. Quid enim per dolum inſeruerim, ego quidem non video; ſed nec tu oſtendis. Inſerta verò, quæ ex ſe ad Baptiſmum nihil conferant, ſubtrahant nihil, vel me volente reſeces, atq; reijcias, ſi non ſint ad rem quam tractamus.

Eſſe verò ad rem, etiam te arbitrante oſtendo. Neq; enim inquiro, An, & quomodo probari poſſit, Baptiſmũ ablutione aquæ ſub præſcripta verborum forma eſſentialiter conſtantem, eſſe Baptiſmum CHRISTI. Sed an à te Miniſtro Lutherano, ex ſcripto Dei verbo, quod vnum admittas, id probari poſſit.

Ergo cum in hac quæſtione ſnpponam, etiam ex conceſsione tua Baptiſmum CHRISTI, ſecundũ ſubſtantiam & eſſentiam præſcripta verborum forma conſtare: mihi verò te id concedere, aliunde quam ex Agenda, juxta quã is, cui primo hanc quæſtionem propoſui Baptiſmum adminiſtrauit, nequaquam conſtare potuerit; rectè videor etiam te arbitrante, quæſtionem adſtrinxiſſe ad Baptiſmũ ex Agenda Auſtriaca adminiſtratum.

Rurſus quia hæc mea quæſtione vrgebam, te ex recepto illo apud vos FIDEI VESTRÆ principio: *Nihil recipiendum quod ſcriptum non ſit*, & probabam, ex ſcripto Dei verbo, quod vnum ex FIDE VESTRA admittitis, probari non poſſe, Baptiſmum quem adminiſtratis eſſe Baptiſmũ CHRISTI; rectè, & ſine dolo, inquiſiſſe etiam videor, an & quomodo probes ex FIDE TVA Baptiſmum, quem adminiſtras eſſe Baptiſmũ Chriſti. Itaq; habito reſpectu ad hominem qui cum, & contra quem agerem: ad rem

de qua agerem, principiũ ex quo agerem, inquirens quod inquiſiui, rectè inquiſiui; non ſimpliciter: An probari poſſit Baptiſmum ablutione aquæ, & vſitata verborum forma conſtantem, eſſe Baptiſmum CHRISTI: ſed cum reſtrictione: An ex FIDE TVA probes Baptiſmum, ex Agendæ præſcripto adminiſtratũ, eſſe Baptiſmũ CHRISTI.

Intelligis verò ex his, quam ad rem ſint, quæ judicas reſecanda: & quid vocula illa (non ſimpliciter) præferat, quid præſupponat. præfert enim quæſtionem ad ea quæ explicui reſtrictam: & præſupponit ex Fide vera probari poſſe, Baptiſmum ablutione aquæ ſub præſcripta verborum forma conſtantem, eſſe Baptiſmum CHRISTI.

Habes itaq; ex ſciente & volente: Baptiſmum nõ ideo eſſe CHRISTI, quia ſit ex hac, vel illa Agenda adminiſtratus: ſed quia ſit adminiſtratus ex inſtitutione CHRISTI, quam præfert Agenda. Similiter non dependere ex FIDE TVA, ſiue propria tibi ſit, ſiue cum alijs communis (de qua vna cum tuam dixi intelligi debui, qui eam MEÆ, hoc eſt Chriſtianæ, Catholicæ, Romanæ oppoſui) Baptiſmi valorem & efficaciam. quia tamen ab eodem habes, quam hæc ad rem, de qua agimus, faciant, noles in poſterum pro ſapientia tua, hæc quantumuis ex ſe nihil faciant ad Baptiſmum, à quæſtione reſecari, & reijci.

Quanquam, vt quod eſt ingenuè fatear, ipſe volens ac libens Agendæ non meminiſſem, ſi quod ex nuperis tuis habeo, acturus primo tecum habuiſſem; confeſsione tuâ Baptiſmum CHRISTI etiam vſitata verborum forma vti eſſentiali conſtare. Hac ergo habita, vt vis, Agenda miſſa, tandem aliquando proba, quod recepiſti facturum, illã verborum formam, EGO TE BAPTIZO, &c.
Vti eſſentialem Baptiſmo CHRISTI adhibendam. proba vero ex ſcriptura, & probaſti ex FIDE TVA, Baptiſmum

Digitized by Google

quem adminiſtras, ſiue ex tua, ſiue ex Agenda Auſtriaca, verum & legitimum eſſe Baptiſmum.

Nec ex verbis præcepti de Baptiſmo, quod habetur, Math: 28. v. 19. nec ex Apoſtoli verbis ad Eph: 5. v. 26. ſecluſa & excluſa TRADITIONE probari vllum omninò verbũ ad Baptiſmum eſſe requiſitum.

Et tu quidem vna duntaxat interrogatione, ſed vehementi, probare te poſſe putas, quod exigeris. Quomodo, inquiens, ſcriptũ non eſt baptizandos eſſe *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*? quam verò ſolidè, quam neruoſè pro tãta breuitate videbimus poſtea. nunc tui vice probationem tuam ad formam redactam claritatis cauſa, hocce enthymemate diſcutiendã propono. Ex præcepto CHRISTI, quod habetur, *Matth: 28. v. 19.* baptizandum eſt *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergo ex præcepto CHRISTI, omnis qui baptizat dum baptizat, vt verè baptizet, enuntiare debet ſe baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſeu quod idem eſt proferre debet illam verborum formam: EGO TE BAPTIZO *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Hæc eſt tota probatio tua; quæ quam proba ſit, & quid ego ad illam reſpondeam, tute ipſe aduertis, & præuertis, conceſſo enim antecedente, nego conſequentiam. quam vt tu quidẽ ex illo antecedente deducas, non video. quin video te videre, ex illo nequaquam deduci. Certè videre poteras ex ijs, quæ ad hunc locum ſcripſi, prima mea ad Sympatriotam meum, & communicaui tecum. Ea vero vt recepi facturum, pro collyrio aptius, & efficacius applico tibi. ſile tu modo, & da mihi oculos.

Scriptum omninò eſt, quod ſcriptum legis, ex præſcripto CHRISTI *Matth: 28. v. 19.* Baptizandum eſſe *in*

Digitized by Google

nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnde tamen, ſi ſolum aduertas ad CHRISTI verba, nihil habes amplius, quam præceptum vt baptizes, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vt autem baptizes inuocato per vocem & enunciato Patris, Filij, & Spiritus Sancti nomine, nō habes. multo minus vt baptizes, & dum baptizas enunties, baptizare te *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ergo cum baptizare poſſis, concepta duntaxat animo tota verborum forma, quam voce exprimendam contendis; planum eſt ſatisfacere te poſſe præcepto CHRISTI, quod habetur illo *Matth: 28. v: 19.* quin baptizando dicas, te baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Quod ſi ita eſt, vt reuera eſt, ſi tantum ad verba præcepti, & ſenſum quem præferunt, attendas; malè omninò infers ex illo CHRISTI præcepto, eum qui baptizat, vt verè baptizet, ex præcepto CHRISTI debere enuntiare ſe baptizare in *nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & quod idem eſt, proferre illam verborum formam: EGO TE BAPTIZO *in nomine &c.*

Ex præcepto enim cōmunis actus, quem diuerſimodè exercere poſſis *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vel quia illum exercens, dicas ſolum animo, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: vel adiungas præterea, exerceo hunc actum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; vel animo ſimul & ore dicas, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: aut etiam exerceo hunc actum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nullo modo rectè inferas: vt ſatisfacias præcepto, neceſſe eſſe, vt actum præceptū exercens, ore proferas, te exercere talem actum, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ergo cum baptizare poſſis, qui eſt actus præcepti *Matth: 28. v. 19.* aut animo ſolum dicens, quando baptizas; *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, aut etiam animo tantum: EGO TE BAPTIZO *in nomine*

Patris,

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. aut animo ſimul & ore, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, aut etiam EGO TE BAPTIZO *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non rectè inferes, vt verè baptizes, ex illo CHRISTI præcepto debere te enuntiare quando baptizas, baptizare te *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Audi ſimile de eadem materia ſumptum. Ex eodem præcepto, quo baptizare debes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, explicato per illud *Ioan: c. 3. v. 5. niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, aqua tantum, eaq; naturali baptizas, vt verè baptizes. quia ergo præceptum vt baptizes aqua, ſimpliciter accipis de aqua naturali in communi, non de aqua determinata u. g. Iordanis, Euphratis, Danubij: calida, frigida, tepida, præcepto ſatisfacis, quacunq; tandem aqua naturali baptizes. & perperam omninò inferas, ex hoc quod jubearis aqua baptizare, baptizare te debere Iordanis aqua determinatè: calida determinatè &c. quomodo igitur non æquè malè inferas, ex præcepto vt baptizes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, baptizandum eſſe tibi ſub præſcripta verborũ forma, qua enunties te baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, cum itidem baptizare iuſſus *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* diuerſimodè, & animo tantùm, & animo ſimul ac ore, inuocato Patre, Filio, & Spiritu ſancto, baptizare poſſis *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Hæc ego hic enucleatius, quam in epiſtola, quam ad Symmyſtam tuum, Sympatriotã meum dedi. Ad quæ nõ video quid aliud reſpondere poſſis, quam quod ſub finem epiſtolæ tuæ lego: ſupponere me quod abneges, baptizare te poſſe, quin verbo & ore inuoces Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. In Patris enim nomine, ais, baptizari non poteſt aliquis, niſi expreſſo nomine Pater pronuntietur ſimul, & inuocetur.

Vnde id autem, ò bone? Ex illo *Matth: 28. v.19. Euntes docete: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* quo ſatis liquidò, & expreſsè, inquis, ſignificauit Saluator, qua verborum forma baptiſmus ſit peragendus.

Repete CHRISTI præceptum, & exhibe, quibus ſignificet liquidò, & expreſsè vtendum verbis inter baptizandum. ſi dederis, dabis etiam quibus ſignificet, expreſſa ab ipſo verborum forma vtendum. Non exegiſſem à te ſi exhibere poteras: & obtruſiſses tu etiam non exigenti, ſi poteras exhibere. Dum ea verò non exhibes, non probas, vt volebas, ex illo *Matth*: *28.* baptizare te non poſſe quin verbo inuoces Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.

Poſſe te autem baptizare, mentaliter duntaxat inuocato Patre, Filio, & Spiritu ſancto, atq; ita habita ratione verbi CHRISTI, illo *Matth: 28. v.19.* præcepto eius ſatisfacere, planum eſt. quid enim eſt aliud baptizare, mentaliter duntaxat inuocato Patre, Filio & Spiritu ſancto, quā abluere aqua, mente duntaxat concepto, & inuocato Patre, & Filio, & Spiritu ſancto? Potes autē abluere, mente duntaxat concepto, & inuocato Patre, Filio, & Spiritu ſancto, ergo baptizare potes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, mente duntaxat concepto, & inuocato Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.

Et certè mirum ſit, poſſe te manducare, bibere, & quiduis aliud in Dei gloriam facere, Deo duntaxat mentaliter inuocato, & per hoc ſatisfacere Apoſtolo. 1.ad Cor: 10. v.31. præcipienti: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: non poſſe te autem baptizare, mente duntaxat inuocato Patre, Filio, & Spiritu ſancto. nec hoc ſatisfacere præcepto, vt baptizes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* non magis requirente, vt quando baptizas inuoces ore, & pronunties Patrem,

Filium,& Spiritum S. quam requirat Apoſtoli verbum, vt ore Deum inuoces, cum manducas, bibis, & quiduis aliud facis in gloriam Dei.

Addo: baptizantem te & inuocantem ore Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. haud dubiè etiam mente Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum inuocare. Neq; enim das ſine mente ſonum; vt pſittacus: ſed vt homo: vt Angelus: vt Deus. potes autem pro libertate, quem mente inuocas, ore non inuocare. quis enim te adigat, vt omne quod mente cōceperis, ore parturias, & parias? potes ergo pro tua libertate baptizare, & ſola mente Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum inuocare. hoc ipſo autem baptizas *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergo potes baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, mente duntaxat inuocato Patre, Filio, & Spiritu Sancto. & quod eſt conſequens, ſatisfacere præcepto CHRISTI, quod habes: *Math: 28. v: 19.* licet ore nō proferas, baptizare te *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Non eſt ergo præceptum vt baptizes ſub præſcripta verborum forma, vt eſſentiali Baptiſmo. Sed fortaſsis ex alio de Baptiſmo ſcripturæ loco euincas, verbum ad Baptiſmum requiri, quod non requiratur alibi, ad alia ex præcepto Apoſtoli in gloriam Dei facienda. Ad *Epheſ: enim c. 5. v. 26.* Apoſtolus de CHRISTO loquens & Eccleſia: *Mundans eam*, inquit, *lauacro aquæ in verbo vitæ.* Vbi cum munditiem; quæ habetur ex Baptiſmo, coniunctim lauacro tribuat & verbo, ait enim, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, apertiſsimè docet, Baptiſmum CHRISTI verbum requirere, vti requirit lauacrum & ablutionem. non aliud autem, quam quo *Sacroſancta* TRINITAS expreſsè per os inuocetur, ergo non potes baptizare ex præcepto CHRISTI, mente duntaxat inuocato Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.

Digitized by Google

Hoc ipſum, eodem obieci ipſe mihi, prima mea ad Sympatriotam meum *Ioannem Schnelzigk* epiſtola. Inde meum ad obiectionem tranſcribo reſponſum. Apoſtolũ verbi quidem meminiſſe cum lauacro: verbo itidem cũ lauacro tribuere munditiem, ad quam eſt Eccleſia per Baptiſmum mundata. non probari autem intelligendum de Sacramentali, vt aiunt, VERBO: quo, vt eſt in Scholis ex Auguſtino receptũ, *ACCEDENTE AD ELEMENTVM, FIT SACRAMENTVM*, cum intelligi poſsit de verbo prædicationis, quod Sacramentum Baptiſmi debet præcedere, ex præcepto CHRISTI, quod vno contextu, ipſe Dominus præcepto de Baptiſmo coniunxit.

Repete mecum verba præcepti: *Euntes* inquit Matthæus, *docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* & intellige: ſicut ex vi huius literæ prout ſonat, nequaquam probas contra Anabaptiſtas, validè te, nec contra Domini præceptum, baptizare PARVVLOS, antequam illos, & tu docere poſſis, & illi te docente credere: ita TRADITIONE ſecluſa, ex vi ſolius literæ illius præcepti, vti & ex Apoſtolo adducti verbi, nequaquam probare, vt validè baptizes, verbum ad ablutionem requiri. nec ſufficere ſi abluas, mente duntaxat inuocato, nec per vocem expreſſo nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Confirmet hæc autem illud in Actis Apoſtolicis repetitum *Baptizare*, vel *baptizari in nomine Domini IESV*. Vt id enim tu, qui Baptiſmo CHRISTI vis eſſentialem eſſe illã verborũ formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, baptizare* vel *baptizari in nomine Domini IESV*, nihil aliud eſſe dices, quam baptizare, vel baptizari autoritate & virtute Domini IESV, ſeu Baptiſmo à Domino IESV inſtituto: ita ego, & quilibet alius mecum contra te

dicet

dicet, præceptum CHRISTI vt baptizes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nihil ſignificare aliud, quam vt baptizes Baptiſmo autoritate & virtute Patris, & Filij, & Spiritus ſancti inſtituto. Hunc autem niſi aliunde oſtendas, ſic inſtitutum, vt neceſſe ſit illum adminiſtrari ſub præſcripta verborum forma, non oſtendes adminiſtratū inuocato mentaliter duntaxat Patre, Filio, & Spiritu ſancto, adminiſtratum non eſſe *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nec hoc tantū modo adminiſtratum, ex CHRISTI præcepto apud Matthæum dato adminiſtratū nō eſſe.

Ex his autem concludo, quoniam vt probatum videtur, ex præcepto CHRISTI baptizare potes, abſq; vllo verbo, mente duntaxat inuocato Patre, Filio, & Spiritu ſancto, probatum etiam videri, ex vi eiuſdem præcepti ſecundum literam conſiderati, & excluſa eiuſdem præcepti, quæ eſt ſecundum TRADITIONEM intelligentia. Baptiſmo ex præcepto CHRISTI adminiſtrando, vſitatam verborum formam nec neceſſariam eſſe, nec eſſentialem. Ex quo enim probatum videtur, te baptizare poſſe ex præcepto CHRISTI, mente duntaxat inuocato Patre, Filio, & Spiritu ſancto, probatum etiam eſt, abſq; vſitata verborum forma ex CHRISTI præcepto baptizare te poſſe. quod cum non poſſis abſq; neceſſarijs & eſſentialibus Baptiſmi à CHRISTO inſtituti, vſitata verborum forma nō erit neceſſaria, nec eſſentialis Baptiſmo.

Ex ſcriptura item non probari, quodnam determinate verbum Baptiſmo adhibendum.

Demus autem, & concedamus (quod ex ſcriptura ſola nunquam euincas:) aliquod verbum ore pronuntiatum eſſe neceſſarium, & eſſentiale Baptiſmo, quoniam non recipis, niſi quod ſcriptum legis, cedò mihi ſcripturam qua

Digitized by Google

probes, aliud verbum quam quod expreſſum in præcepto legis, illud: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ad Baptiſmum CHRISTI requiſitum eſſe. An non ſi abluens vnum illud pronuntiem, totum id quod præceptum eſt exequor? qui & abluo, & abluens verbo etiam inuoco Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, certè ſic baptizans *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, verbo, quod requiris adhibito, videor baptizare.

Nec eſt, ſi ad verbum præcepti attendas, vnde tu mihi neceſsitatem imponas verbi etiam, quo ſignificem me facere, quod facio *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Legis ibidem præceptum Apoſtolis, *vt eant in mundum vniuerſum: & doceant omnes gentes:* & apud Marcũ cap: 16. v. 16. *vt prædicent Euangelium omni creaturæ.* Non credo autẽ dicturum te, non ſatisfeciſſe præcepto, eundo, docendo, prædicando, niſi dicerent cum irent, docerent, prædicarent, ſe ire, prædicare, docere. quid eſt ergo, cur æſtimes, præcepto ſimili non ſatisfeciſſe, niſi abluendo dicerent EGO TE BAPTIZO *in nomine &c*?

Eodem pertinet & illud Domini præceptũ, Luc: 10. v. 9. *curate infirmos.* quos haud dubiè curauerunt *in nomine Domini*, vt facturos prædixit Dominus Marc: 16. v. 19. & ex facto Petri Acto: c. 3. v. 6. eſt manifeſtum. Dicas ne autẽ præcepto illi nõ ſatisfeciſſe, niſi intercedẽte verbo, quo ſe infirmos curare *in nomine Domini* ſignificarent? Nõ credo.

Rurſus clarum eſt præceptum, quod acceperunt Apoſtoli in vltima cœna, Luc: 22. verſ. 19. *Hoc facite in meam commemorationem* cui dubio procul ſatisfecerint, etiamſi quod facerent in commemorationem CHRISTI, cum facerent facere ſe in eius cõmemorationem non dicerent. quid eſt ergo, quod ſimili prorſus de Baptiſmo CHRISTI præcepto dicas me non ſatis facturum, niſi baptizans

dicam,

dicam, me baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Rectius dicas forma præcepti in his, & ſimilibus omnibus ſpectare; quemadmodum vt vni alicui ſatisfacias, non eſt neceſſe dicere te facere, quod facis: ita nec vt reliquis eiuſdem formæ præceptis. Et eò te ducat ipſa ratio, poſtquam TRADITIONEM, & intelligentiam, quæ eſt ſecundum TRADITIONEM verbi ſcripti excluſiſti.

Dabo autem & illud tibi, præter verbum, quo SS. TRINITATEM inuoces, ex præcepto requiri etiam verbũ, quo actum baptizandi ſignifices. quia verò hunc ipſum actũ diuerſimodè ſignificare potes: vel per Indicatiuum, quod Latini facimus: vel per Imperatiuum, quod faciunt Græci: vel per Optatiuum, vt nulli quod ſciam faciunt: & ſi qui facerent, etiam te arbitrante, nihil facerent: velim mihi probes ex ſcriptura (nihil enim à te recipio, quod ſcriptum non proferas) quonam ex his modo ſignificandũ judices actum baptizandi, vt verè ex præcepto CHRISTI baptizes: & cur vno potius, quam altero illorũ modorum actum baptizandi ſignificans, vnâ cum vocali SS. TRINITATIS inuocatione CHRISTI præcepto ſatisfacias.

Nihil horũ potes TRADITIONE, & quæ eſt ſecundũ TRADITIONEM ſcripti verbi intelligentiã excludens.

Quod ſi tui Lutheri doctrinæ ſtes; audi quid cum illo, contra ſupradicta, etiam contra expreſſum CHRISTI præceptum ſentias. Lib: de captiui: babyl: cap. de Baptiſmo. Ratum ac validum, ait, eſſe Baptiſmum, quocunq; modo ac forma collatus fuerit. dum tamen non in hominis, ſed in nomine Domini conferatur. imò qui ab impio Miniſtro in nomine Domini non conferatur, dum tamen in nomine Domini acceptetur..

Digitized by Google

Habes in his fuſius,& enucleatius tibi propoſitis,quod promiſi collyrium, aptius ſpero, & efficacius applicatum tibi; dum tamen impoſitum oculis & phantaſiæ tuæ, retinere ſuſtineas aliquantiſper. Submouebit, mihi crede, illuſiones ſenſuum, & aperiet intellectum tibi, vt in verbo ſaluatoris citato, nihil plus videas, nihil minus, quam præferat. Et quia non præfert expreſſum CHRISTI præceptũ, vt baptizans ſignificet, baptizare ſe *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, aut quouis alio modo cũ diſtincta SS. TRINITATIS inuocatione, exercitium actus quem exercet: non videbis in illo præceptum hoc, nec expreſſam verborum formam, ſub qua ex præcepto ibi dato, tibi ſit baptizandum.

Quia verò nihilominus benè & orthodoxè vides verborum formam, quam dicis eſſentialem Baptiſmo, verè eſſentialem eſſe: ſiquidem id videre non potes in ſcripto Dei verbo, quia ſcriptum non eſt; clarè & diſtinctè cum catholicis Romanis videbis in *TRADITO CHRISTI* verbo, & præcepto. Hoc autem quia *CHRISTI* verbum eſt, autoritatis & venerationis cũ ſcripto Dei verbo paris eſt

Meritò vrgeri præſcriptæ verborum formæ probationem ex ſcriptura.

Tunc etiam non tam liberè, vt facis, contra me pronuntiabis; Non dignum me facere, qui iterum, imò ſæpe ſæpius, vrgeam vt demonſtres ex ſcriptura: Baptiſmum ſub præſcripta verborum forma adminiſtrandum. apertis enim tibi oculis peruidebis, ex ſcripto Dei verbo id haberi non poſſe, ex *TRADITO*, & ea, quæ eſt ſecundum *TRADITIONEM*, ſcripti verbi intelligentia, haberi. & negantem verbum *TRADITVM*, cum aſſerat formam verborum eſſentialem eſſe Baptiſmo; nunquam vrgeri ſatis, vt probet, quod aſſerit, ex ſcripto Dei verbo, quod vnum admittit.

Digitized by Google

Arbitrare tu autem: vtrum nam ego potius nō dignè me faciam, requirens toties, & nō accipiens, quod debeo. An tu, qui toties requiſitus, quod debes, non præſtas.

Ais. non eſſe opus iſta demonſtrari ad literam ita ſe habere: ſufficit Baptiſmum adminiſtrari ex CHRISTI inſtitutione, & eadem illa verborum forma, qua vti juſſit, & eo nos in Agendis Eccleſiaſticis deduci. ſi cum dicis, nō eſſe opus iſta demonſtrari ad literam ita ſe habere, illud dicis: non eſſe opus demonſtrari, ſcripturam ad literam dicere, verborum formam, quam eſſentialem dicis, eſſe Baptiſmo eſſentialem, aſſentior tibi: nec vt hoc ad literam demonſtres exigo. ſi autem dicas: non oportere demonſtrari ad literam ex ſcriptura illam verborum formā Baptiſmi, quam aſſeueras expreſſam eſſe CHRISTI verbis, ex præcepto CHRISTI Baptiſmo adhibendam, non aſſentior tibi: quomodo enim credi vis id tibi aſſerenti, niſi ad literam ex ſcripto Dei verbo demonſtres, qui nihil cuiquam credas, niſi quod ex ſcripto Dei verbo ad literā tibi demonſtret? Ad legem magis & ad teſtimonium appellans. &, *quod ſi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Iſai: 8. v. 20.*

Nec ſufficit ad id, de quo agimus, Adminiſtrare te Baptiſmum ex inſtitutione CHRISTI, & eadem illa verborum forma, qua vti juſsit, & eo nos in Agendis deduci. Agimus enim vt probes ex ſcriptura, quā admittis, juſsiſſe CHRISTVM & inſtituiſſe, vt baptizaturus, ſub præſcripta verborum forma baptizes. Tu verò ad inſtitutionem CHRISTI, & præſcriptam verborum formam declinas: non neſcius, hoc ipſum verſari in controuerſia, num CHRISTVS Dominus inſtituerit Baptiſmum, ſub ea qua de contendis verborum forma adminiſtrandum.

Digitized by Google

Baptiſmum quidem eiuſdem apud nos & vos eſſe ſubſtantiæ & efficaciæ, te tamen id abſq; cõdictione nequaquam concedere.

Quod verò ſubdis: vnum & eundem Baptiſmum, tam apud nos, quam apud vos adminiſtrari: eiuſdem eſſe ſubſtantiæ & eſſentiæ apud nos, & apud vos: dicis id quidem verè, & ex ſenſu Catholicorum omnium; qui etiam ideo vos ad nos redeuntes non rebaptizant, eodem quo nos apud vos baptizatos Baptiſmo: ſed tamẽ contradicis tibi. Ex illo enim principio, quo nihil recipis, quod ſcriptum non ſit, quem hic dicis & verè dicis, eundẽ, eiuſdem ſubſtantiæ & eſſentiæ tam apud nos, quam apud vos; dicis nõ eundem, nec eiuſdem ſubſtantiæ & eſſentiæ tam apud nos, quam apud vos. quia enim ſcriptum non eſt, præſcripta verborum forma vti eſſentiali conſtare Baptiſmum; non erit apud vos, eius eſſentiæ & ſubſtantiæ, cuius eſt apud nos, apud quos vt eſſentiali conſtat præſcripta verborum forma. conſequenter non erit idem apud nos, & apud vos. Eſt autem; vt ais, idem, & eiuſdem ſubſtantiæ, & eſſentiæ apud nos, & apud vos. Ergo eſt idem, & non idem, eiuſdem, & nõ eiuſdem ſubſtantiæ & eſſentiæ apud nos,& apud vos. Dicens ergo vnum atq; eundẽ Baptiſmũ, eiuſdem ſubſtantiæ & eſſentiæ apud nos, & apud vos eſſe; quanquam verè dicas,& ex ſenſu Catholicorum omnium; non dicas tamen quin tibi, vt dixi, non contradicas.

Similiter, quod dicis: tam apud nos, quam apud vos, eiuſdem eſſe valoris, & roboris: eiuſdem operationis, & efficaciæ: non dicas, ſi ad alia fidei tuæ dogmata mentem aduertas. valor enim & robur, operatio & efficacia Baptiſmi apud nos ſunt, quæ deſcripta ſunt *in Tridentino, decreto de peccato originali can. 5. ſeſſionis 5.* ergo cum eadem vos

abnege-

abnegetis Baptiſmo, fieri non poteſt, vt baptiſmus tam apud nos, quam apud vos eiuſdem ſit valoris ac roboris; eiuſdem operationis & efficaciæ.

Eſſentialia Baptiſmi omnia, ex ſcripto DEI verbo non haberi, ſed partim ex ſcripto, partim ex Tradito.

Perſequor tuo ductu, quæ in conſequentibus impugnas ex meis. Et miror de tot meis ad tot quæſita tua reſponſis, nihil carpi, nihil impugnari aliud, quam quæ partim ad quæſitum tertium, partim ad quæſitum quintum reſpondi: eſſentialia Baptiſmi omnia nõ haberi tantùm ex ſcripto Dei verbo, ſed partim ex ſcripto, partim ex TRADITO, quæ ſint eiuſdem autoritatis, & venerationis. Placentne ergo tibi, quæ ad alia omnia quæſita tua reſpondi, quod ea non refelleris? certè rata ſunt, & firma, quamdiu nõ probaueris ex ſcripto Dei verbo, quod vnum admittis: Baptiſmum ſub præſcripta verborum forma adminiſtrandum eſſe.

Sed & hæc, quæ notaſti contra impugnationes tuas conſtant. Primum enim illud quod ſcripſi, & ſcribo: Baptiſmi eſſentialia omnia, & præceptum ex ſolo ſcripto verbo non haberi: ſed partim ex ſcripto, partim ex TRADITO, vt tu infirmes ac refellas non video. Ais, aut Saluator integrum inſtituit ſacramentum, & conferre juſſit Apoſtolos integrum, aut mutilum. Et qui ab Apoſtolis ad præceptum CHRISTI baptizati ſunt, aut integrè baptizati ſunt, aut mutilè & imperfectè. Hæc tu quidem ad verbum. Quomodo autem ex ijs inferas quod oporteret, vt argueres, eſſentialia Baptiſmi omnia & præceptum, ex ſcripto tantùm verbo haberi, non video.

Nam profiteor ego quidem, Saluatorem integrum

inſtituiſſe, quo ad eſſentialia omnia Baptiſmum: & Apoſtolos ad præceptum eius integrè baptizaſſe, non mutilè & imperfectè. ſed contendo ſimul & probo, eſſentialium Baptiſmi, quædam haberi ex ſcripto, quædam non haberi ex ſcripto, ſed TRADITO verbo Dei; quæ pro eſſentialibus vtiq; haberi nõ poſſunt, niſi ex verbo Dei & CHRISTI, eſſentialium Sacramenti inſtitutoris. Inde vero nõ video, vt inferas, quod videri vis inferre: ſecundum me & ex meis, CHRISTVM mutilum inſtituiſſe Sacramentum: Apoſtolos mutilum, & imperfectum Baptiſmum ad præceptum Domini adminiſtraſſe. Apage ſis blaſphemiam iſtam, & audi, quid profitear.

CHRISTVS Dominus integrum inſtituit: Apoſtoli integrum & perfectum adminiſtrarunt, non mutilum, non imperfectum. Inſtituti tamen Baptiſmi eſſentialia, quædam ſcribi voluit, & per ſcripturam innoteſcere nobis: quædam, vt eſt verborum forma, ſub qua eſt baptizandum, ſcribi noluit: quæ proinde per ſolam TRADITIONEM innoteſcant nobis.

Nec euincunt id quod contendis, quæ citas CHRISTI ad Apoſtolos verba: quæ ſcripta ſunt. in illis enim eſſentialia Baptiſmi diſtinctè poſita, & præceptum de illis non legis, vt iam ſupra clarè probatum eſt.

Baptiſmum vnica perfici ablutione, nec ad ſui rationem trinam requirere.

Quid eſt verò, quod ſuſpicaris, exigere me trinam ad Baptiſmum, vti neceſſariam ablutionẽ, ex ſenſu tuo illis vocabulis *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, præſuppoſitam, quibus vnica ablutione non ſatisfiat? Nihil minus exigo, qui ex Catholicorum vnanimi conſenſu (auſim dicere etiã Acatholicorum) Magni Gregorij ductu palàm ac diſertè profiteor, *vnicam ſufficere ad Baptiſmum ablutionem.*

Vt autem vocabula *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, trinam ablutionem non præſupponant, excipe non me, ſed Magnum illum occurſantem tibi. Conſultus is de vario ritu trinæ vel vnius merſionis (ablutionis) qui vſurparetur inter Catholicos lib. 1. epiſtolarum epiſtola. 41. *Nullatenus, ait, eſſe poſſe reprehenſibile, infantem in Baptiſmate vel ter, vel ſemel immergere* (abluere) *quando, & tribus merſionibus* (ablutionibus) *perſonarum* TRINITAS, & in vna poteſt DIVINITATIS ſingularitas deſignari.

Et vrgeam te ex præcepto, vbi præſuppoſitam vis trinam ablutionem. ſi enim præcepto CHRISTI ſatisfacias ablutione vna ſub præſcripta verborum forma, planum eſt ablutionem trinam non eſſe neceſſariam, vt præcepto ſatisfacias. Potes autem præcepto CHRISTI ſatisfacere, vnica ablutione: Ergo non eſt neceſſaria trina. Maiorem puto concedas. ablutio enim neceſſaria eſt, qua ſatis fiat *CHRISTI* præcepto: ergo ſi vna ſatisfacias, vt præcepto ſatisfacias non eſt neceſſaria trina. Minorem autem ſic probo. Abluens vna duntaxat ablutione, etiamſi alteram, & tertiam non adijcias, verè baptizas *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quod præceptum eſt: ergo vna duntaxat ablutione ſatisfacis præcepto *CHRISTI*. Malè ergo ſentis, & ſcribis, trinam ablutionem vocabulis illis præſuppoſitā eſſe, quibus vnica ablutione nō ſatisfiat.

Scriptum & TRADITVM Dei verbum paris eſſe autoritatis & venerationis.

Alterum verò; paris eſſe autoritatis, & venerationis *TRADITVM* cum ſcripto Dei verbum, quia capere non vis, aliâs captu facillimum, non capis. Quid enim? An nō verbum Dei ex eo habet autoritatem & venerationem, quia eſt verbum Dei, ſapientiſsimi, veraciſsimi, optimi: imò fontalis ſapientiæ, veritatis, & bonitatis? Ab eadem

autem ſapientia, veritate, & bonitate profectum, eandem & parem autoritatem ac venerationem habeat eſt neceſſe. ſiue ergo ſcriptum ſit, ſiue TRADITVM Dei verbum, dum modo Dei verbum ſit, eandem & parem habet autoritatem & venerationem.

Nec obſtant quo minus id capias, quæ adducis. Primus enim locus ex Apocalypſi ſic habet. *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ huius: : Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Ex quo nihil habes aliud, quam proteſtari Ioannem, appoſiturum plagas iſtas ſuper eum, qui appoſuerit ad prophetiã hanc ſuam. Illam enim demonſtrat illa vocula demonſtratiua (*hæc*) vt ſenſus ſit: *Si quis appoſuerit ad hæc*, à me prophetata, & in libro hoc conſcripta, *apponet Deus ſuper illum, plagas ſcriptas in libro iſto.* Quid hoc autem ad euicendum, præter ſcriptum Dei verbum aliud quod dicamus TRADITVM non dari? vt eandem illi cum ſcripto Dei verbo autoritatem & venerationem abneges. Neq; enim qui pari veneratione TRADITVM cum ſcripto verbum amplexatur, TRADITVM Dei verbum, quod amplexatur, apponit ad hæc à Ioanne prophetata, velut à Ioanne prophetatum, & ſcriptum: Ex hoc ergo quod præter ſcriptum, TRADITVM Dei verbum admittat, nihil apponit ad hæc, vt ſecundum Apoſtoli conteſtationem, *apponat Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.*

Addo, vt liberaliter agam tecum: dato quod Ioannes particula illa (*ad hæc*) vniuerſorum Bibliorum volumen deſignarit: adhuc tamen inde nihil habes aliud, quam nõ apponendum tibi, ad ſcriptũ Dei verbum, quod Dei verbum non ſit. Non habes autem non amplexandum tibi præter ſcriptum aliud Dei verbũ, quod Deus ipſe ad verbum ſuum ſcriptum appoſuit. Nihil ergo Ioannis conte-

ſtatio contra amplexantem præter ſcriptum, T*RADITVM* à Deo verbum, quod Deus ipſe pro poteſtate ſcripto ſuo verbo appoſuit. Nihil contra T*RADITVM* quod præter ſcriptum amplexamur Dei verbum, quippe cum conteſtatio illa ſolùm ſit in apponentem & amplexantem Dei verbum, quod verbum Dei non ſit.

Et eſt, mi homo, in te, qui contendis præſcriptam verborum formam eſſentialem Baptiſmo, verbis præcepti de Baptiſmo expreſſam, cum expreſſa non ſit, manifeſtè apponens vti ſcriptum Dei verbum, ad ſcriptum Dei verbũ quod ſcriptum Dei verbum non eſt. Apponet ergo Deus ſuper te plagas ſcriptas in libro iſto.

Alter locus *ex Deut. c. 12. v. 32. quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* quid etiã contra Dei verbum T*RADITVM* præter ſcriptum faciat, aut quomodo parem ei cum ſcripto autoritatem & venerationem abroget, non apparet.

Præceperit enim Moyſes Iſraëli, vt hoc tantùm faceret Domino, quod præcepit; de gentilium ritu, quod in antecedentibus vetat, ad Dei cultum nihil addens, nihil minuens: certè non præcipit, vt ſolum ſcriptum Dei verbum admittat; aliud Dei verbum abijciat: nec illud pari cum ſcripto reuerentia & veneratione dignetur.

Non ergo, vt infers, prima cum poſtremis conueniunt, vt ex illis præter ſcriptum Dei verbum, aliud Dei verbum non admittas. & huic cum illo, quod contendebas, parem autoritatem & venerationem abiudices.

CONCLVSIO EPISTOLAE.

HAbes ex his, Dn: Bartholomæe, prolixum ad quæ perſcripſiſti reſponſum meũ: quod excreſcat adhuc, niſi inhibeas, probata ex ſcriptura, quã dicis eſſentialem Baptiſmo, verborum forma. Inde verò ſi eam probes, eadẽ

opera & probatione euerteris etiam, quæ dedi ad quæſita tua reſponſa mea. Si non probes, quia non poſsis; & firmaueris quæ contra te in illis ſcripta ſunt: & cõdeſcendoris in ea, quæ contra Symmyſtã tuum, Antagoniſtã meũ, *Simonem*, Eccleſiaſten ad Viennæ ſuburbia in Herenhals, datis in eadẽ plane cauſa ad eum literis, ex fide eius deduxi. Ea vero quæ & qualia ſint, malim ex adiunctis ad eũ datis, quã ex his, quæ ad te ſunt intelligas. Æquè verò in te quadrant, & quæ à capite tuo, in quod ſunt æquè vibrata, nequaquam repellas, donec T*RADITVM* Dei verbum præter ſcriptum, paris cum ſcripto autoritatis & venerationis agnoſcas. Eo vſq; verò, me, quem appellas, Cenſore, nec pro Magiſterio tuo ſpecimen dederis, & *τῆς θύρας ἁμαρτάνεις*, vt inter THEOLOGIÆ ſtudioſos mereare: primum in ea principium euertens.

ΓΡΑΠΤῸΝ Κ' ἌΓΡΑΠΤΟΝ ῬΗ͂ΜΑ ΘΕΟ͂ΙΟ dari.

NIhil autem de toto, quod reſtet deſidero: quia totum quod ab initio deſideraui, totum adhuc deſidero. Id verò quia ex ſcripto Dei verbo dare non potes, dabis ex TRADITO. Ad quod iterum optem ex animo, collyriũ hoc meum, per gratioſi Raphaëlis officium, à me adhibitum, tibi, & à te ex affectu boni Thobiæ admiſſum, oculos adaperiat tibi! Hiſce vale in Domino, & prouide, vt in lumine lumen videas. Vienna ex Collegio conuictorũ Societatis JESV, die 11. Nouemb. An: M.DC.XV.

D. T.

Indignus in Chriſto Seruus

JOANNES Raphaël Cobenzl
Collegij Conuictorũ Societatis
IESV, pro tempore Regens.

EPI-

EPISTOLA TERTIA,

AD SIMONEM VERBI MINISTRVM IN HERENHALS, DVPLICEM LIbellum continens, quorum altero demonſtratur ad oculum pro concione quam habuit, me quem inuitarat præſente nihil omnino ad propoſitam ſibi quæſtionem reſpondiſſe. altero confutantur quæ dedit in alia concione, ad quæſtionem meam reſponſa.

Erudite Domine SIMON.

Pax CHRISTI.

MIRABERE FORTASSIS, ME, QVI tam impatienter ferre viſus ſum tuum ad meam epiſtolam & quæſtionem ſilentium; vt importunitate monitorum, vel pro frequentiſsima concione, cui per te inuitatus interfui, extorquerem à te reſponſum; ne verbo quidẽ hactenus contradixiſſe tibi: perinde omninò, ac ſi ego coràm te CHRISTO, ex verbo tuo PHARISÆVS, obmutuiſſem. Habuiſti verò nõ vnum, ſed duos, qui educta per te in publicum inter nos controuerſa, conſignatáq; literis quæſtiòne, proclamarunt ex cathedra, & oſtenderunt; adeò me coràm te non obmutuiſſe, vt tu potius, quanquam prolixiſsimè dixeris, quia tamen me præſente nihil omninò de propoſita quæſtione dixiſti, coràm me PHARISÆO, Magnus tuorum CHRISTVS obmutueris.

Factum eſt tibi quod futurum prædixeram prima ad te mea. quo ſufficienter etiam excuſem, me pro facultate mea, & more, idem hactenus per literas non exprobraſſe tibi. Quorſum autem tibi chartam & literas, qui contra datam fidem, reſponſurum te ſcripto ad ſcriptum, declinaſti ad cathedram, & verbum: & ne verbo quidem ex

cathedra, itidem contra fidem datam, cum inuitares ad concionem, reſpondiſti?

Nec eſt hæc tamen dilatæ contra te ſcriptionis cauſa. quanquam ne dilatam quidem verè dixerim, qui ſtatim ab tua, quā audieram, concione, Apologiam ſcripſi: miſſurus jam tum, niſi tu ipſe obſtitiſſes mihi. qui verò ita? Audi.

Parabam quod mitterē: Nihil te ad mea reſpondiſſe, cum per NOSTRÆ FIDEI ex magnatibus vnum aliquē monemur in Collegio, tibi à Directoribus tuis non permiſſum tantùm, ſed & commiſſum ac impoſitum, vti ſcripto per vnum ex illis reuidendo, cenſendoq; reſponderes mihi. Ad quod ego nuntium, conſulentibus etiam amicis, & moderatoribus meis, illo quoq;, qui denuntiauerat, magno, ſuſpendi curas meas, & expectaui: vt tu qui amplius excuſare non poſſes Directorum tuorum vetita, pro magna quam præ te tuliſſes voluntate, meo deſiderio faceres ſatis. Et expectem non facturum in diem Iudicij: contra quam nuper ex tuis Directoribus iterum ſignificauit, qui primùm per magnum illum ex NOSTRIS, reſcripturum te ſignificarat.

Itaq; deſperatis omnino votis meis, & promiſsis tuis, ſed & obedientia tua Directoribus tuis debita; maximè cum prouocatus acriori alterius duorum è *NOSTRIS HOMINIBVS* exprobratione, quod inuitato mihi nihil omninò reſponderis; iterato conſcendiſti cathedram, & inde non tam hoc à te crimen depellere, quam quod fieri primum cum adeſſem oportuit, ad quæſtionem meam ēs reſpondere conatus: reſumpſi curas; & cogitationes primas. Et quia per te illuſus præter conſilium & voluntatem eas in exitum anni diſtuli, reſumptas in hunc nouum annum pro Strena tecum libenter communico.

Eſt hæc autem duplex libellus meus, duplici tuæ con-

cioni,

cioni, quæ quidem me & mea, & coràm, & in abſentia produxiſti, ex aduerſo reſpondens. quorũ primo ad propoſitam à me tibi quæſtionem omninò non reſpondiſſe; ac proinde quanquam prolixiſsimè dixeris, coràm me PHARISÆO te CHRISTVM obmutuiſſe, demonſtro. altero data tua in altera, cui non interfui cõcione, ad propoſitam à me difficultatem reſponſa, quæ dediſſe oportuit in prima cum adeſſem, ad examen reuoco, & confuto. Addam & tertium, ſi duobus illis mittendis operæ pretium me feciſſe cognouero: quo inductam à te pro Hypotheſi THESIN: An ſcriptura ſit vnica FIDEI & Agendorum NORMA ad incudem reuocem, & retundam.

PRO CONCIONE HABITA ME, QVEM INVITARAS præſente, vt reſponderes mihi, nihil te ad propoſitam difficultatem reſpondiſſe.

NIhil te igitur ad propoſitam tibi quæſtionem reſpondiſſe, cum adeſſem inuitatus 5. Nouemb. Anni 1615. quanquam prolixiſsimè, & contentiſsimè dixeris, vel ex collatis inter ſe verbis tuis, quibus videri volebas reſpondere, & quæſtione, argumentóq; contra te meo, eſt manifeſtum.

Quæſtio fuit, quam tu initio benè ac propriè in mediũ attuliſti: An, & quomodo ex FIDE TVA, qua vnum ſcriptum Dei verbum admittis, TRADITO Dei verbo penitus excluſo, probare poſſis Baptiſmum, quem juxta *Agendam* tuam ritè & legitimè adminiſtras, verum, & legitimũ CHRISTI, Baptiſmum eſſe. Et attuliſti, vt par erat, bona fide, quid eſſet cur ego contenderem, ex FIDE TVA, & ſcripto tantùm Dei verbo, te id probare non poſſe. quia nimirum: ex FIDE TVA, & ſcripto Dei verbo probare non poſſis, præſcriptam Baptiſmo ab *Agenda* verborum

formam, velut eſſentialem ex inſtitutione CHRISTI & præcepto adhibendam eſſe Baptiſmo. Subiunxiſti etiam bona fide probationem meam, ex pluribus ſcripturæ locis: in quibus cum agatur de Baptiſmô, ex illis tamen nequaquam habeatur, ne quidem per euidentem cõſequentiam; aut verborum forma, quæ eſſentialis dicitur Baptiſmo: aut præceptum CHRISTI, vt illa ad inſtitutum Baptiſmum adhibeatur.

Ergô ſi reſponſurus eras inuitato, vt receperas, reſpondere debueras, & docere, contra quam ego contenderem: haberi ex ſcripto Dei verbo vel expreſſam, vel per euidentem conſequentiam deductam, adhiberi ſolitam, & ex præcepto CHRISTI adhibendam verborum formam. illam quam minimùm quinquies in *Agenda* tua c. 2. quod eſt de Baptiſmo vti ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi pertinentem habes præſcriptam. EGO TE BAPTIZO, &c.

Nihil te verò minus egiſſe, quam vt ad hoc reſponderes: In primis ad conſcientiam tuam, quæ tibi ſit ad inſtar mille teſtium, & te fallere non poſſit, appello. Deinde ad frequentiſsimæ concionis, ad quam tùm dixiſti, erectas, & attentas aures: quæ tota, tam frequens, tam attenta, tam erudita falli non potuit; vt & me, & plures alios de illa; & tu dicere poſſis falſos fuiſſe: & ego non inuitus concedam falli potuiſſe. Demum non reſpondiſſe te vt debebas, nec docuiſſe: haberi ex ſcripto tantùm Dei verbo, quæ adhibetur Baptiſmo verborum formam, ex ijs, quæ tum dixiſti, oſtendo.

Primùm enim probato, conceſſóq; illo FIDEI TVÆ principio, quod totas duas horas es ſtabilire conatus, IN IIS quæ ad fidem pertinent nihil admittendum, quod vel ſcriptum non ſit, vel ex ſcriptis non deducatur euidenter.

Digitized by Google

Negaſti Baptiſmum, quem adminiſtrant Lutherani, præſcripta verborũ forma vt eſſentiali conſtantem, atq; adeo ipſam verborum formã, ex ſcripto Dei verbo non haberi.

Arrexi, vt verum fatear, ad hoc verbum tuum, non animum tantùm, ſed cum auribus totũ caput, & corpus; vt audirem toties requiſitum illud verbum, quo demonſtrares: Baptiſmum verborum forma, qua de controuertimus, vt eſſentiali conſtantem, vel expreſſum eſſe in ſcripto Dei verbo: vel ex expreſsis in ſcripto Dei verbo euidenter deduci.

Et ecce inductum à te audio verbum illud CHRISTI apud *Math: c. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ex quo tantùm abeſt vt demonſtraris, quod oportebat: Baptiſmũ CHRISTI ex eius inſtitutione conſtare præſcripta, vt eſſentiali, verborum forma; vt id ne demonſtrare quidem, ſucceſſu deſperato, attentaris. Qui enim poſſes, conuictus ijs, quæ ego ad hunc Matthæi locum, prima mea ad Sympatriotã meum, Symmyſtam tuum *Ioannem Schnelzigk*; vt illi præcepto CHRISTI ſatisfacias, nullò penitus verbo, nedum præſcripto ab *Agenda* verbo, vti Baptiſmo CHRISTI eſſentiali, opus eſſe?

Ne tamen nihil dicere videreris, formaſti inde quem ſubijcio, totidem ni fallor verbis Syllogiſmum, quem diceres, te opponere mihi. *Ille Baptiſmus, qui adminiſtratur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, eſt Baptiſmus CHRISTI. Baptiſmus, quem adminiſtrant Miniſtri Lutherani, vtiq; etiam ex Agenda* Auſtriaca, *adminiſtratur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* ergò *Baptiſmus quem adminiſtrant Miniſtri Lutherani, etiam ex Agenda Auſtriaca, eſt Baptiſmus CHRISTI.*

Agnoſces, puto, ſyllogiſmum hunc tuum: ſed & quem malè oppoſueris mihi, ea quæ contra te ſtatui, non euer-

tentē: & peius informaſti, nihil omninò, præter id quod intendebas, concludentem. vtrunq; breuiter oſtendo: illud primum.

Repete verò quod contra te ſtatui: ex FIDE TVA, & ſcripto tantum Dei verbo probari non poſſe; Baptiſmū qui conſtet præſcripta verborum forma vt eſſentiali, eſſe Baptiſmum CHRISTI: quia probari non poſſit, præſcriptam verborum formā, ex inſtitutione CHRISTI eſſentialem eſſe Baptiſmo.

Quoniam ergo Syllogiſmo ex citatis Euangeliſtæ verbis à te inſtructo, nullo modo probas, Baptiſmum CHRISTI vt eſſentiali verborum forma conſtare, qua tamen ex *Agendæ* præſcripto adminiſtratus Baptiſmus vt eſſentiali conſtat, planū eſt, vt vt illum opponere volueris, te tamen illum non oppoſuiſſe mihi; nec per illum, quæ ſtatui euertiſſe: & quod hinc eſt conſequens, ad propoſitū tibi à me argumentum per illum Syllogiſmū non reſpondiſſe.

Alterum informaſſe te illum Syllogiſmum, nihil omninò, præter intentionem tuam, concludentem, pari facilitate oſtendo. Maior enim eius propoſitio vel falſa eſt, ſi vniuerſalis eſt; vel ſi particularis eſt, ex ea, & ſubſumpta itidem particulari, nihil in bona forma concludis.

Itaq; cùm dicis: *Baptiſmus qui adminiſtratur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, eſt Baptiſmus CHRISTI*; ſi dicas: omnem Baptiſmum, qui adminiſtretur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, eſſe Baptiſmum CHRISTI, falſum dicis. quia apertè falſum eſt, etiam ex *Agenda* tua, omnem Baptiſmum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti adminiſtratum, eſſe Baptiſmum CHRISTI. Nam qui adminiſtretur in nomine Patris, & Filij, Spiritus ſancti, ſi non adminiſtretur ſub præſcripta verborum forma, quæ ſecundum *Agendam* eſſentialis eſt Baptiſmo, non eſt

Baptiſ-

Baptiſmus CHRISTI, vt eſt qui adminiſtretur præſcripta verborum forma mente duntaxat concepta, nec pronuntiata: & qui adminiſtretur tota verborum forma nõ pronuntiata integrè, & ex toto. Ex maiori autem falſa, etiamſi minor & ſubſumptio vera ſit, non ſequitur vera & bona concluſio.

Si autem cum dicis: *Baptiſmus, qui adminiſtretur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* dicis: aliquem Baptiſmum qui adminiſtretur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. eſſe Baptiſmum CHRISTI: verum quidem dicis; ſed hinc, & ſubſumpta itidem particulari vera, nihil itidem præter intentionẽ tuam concludis. vt omninò verum ſit: Syllogiſmum quem vt mihi opponeres, ex citatis Euangeliſtæ verbis inſtruxiſti; nec cõcludere præter intentionem, atq; adeo nec probare Baptiſmum, quem adminiſtrant Miniſtri Lutherani, etiam ex *Agenda* Auſtriaca, eſſe Baptiſmum CHRISTI: nec benè oppoſitũ mihi, ea quæ contra te ſtatui non euertentem: & quod hinc eſt conſequens: illo te ad argumentum à me tibi propoſitum, vt videri volebas, nequaquam reſpondiſſe.

Et certè, quia ad id non reſpondeas, niſi oſtendas ex ſcripto Dei verbo, Baptiſmum CHRISTI præſcripta ab *Agenda* verborum forma, vt eſſentiali conſtare; quicquid ex quocunq; ſcripto Dei verbo Syllogizes, ad propoſitam tibi quæſtionem & difficultatem nõ reſpondeas, nec probes quod incumbit tibi: Baptiſmum quem ex *Agenda* tua adminiſtras, verum, & legitimum CHRISTI Baptiſmum eſſe. Hæc ad primum quod attuliſti vt reſponderes mihi.

Subiunxiſti alterum, quo minus etiam reſpondiſti. de quo ipſe tu arbiter ſis & judex.

Ennumeratis enim prope omnibus ceremonijs, ex *Agendæ* præſcripto ad Baptiſmũ adhiberi ſolitis, quas par-

Digitized by Google

tim ſcripturæ conformes eſſe es probare conatus; partim in ſcriptura fundatas; eam, de qua vna eſt totalis noſtra, ne attigiſti quidem. Et eò tu quidem videri poteras collimare, vt ex ſuperabundanti probares, non ſolum eſſentialia Baptiſmi in ſcriptura fundata; ſed & ea, quæ eſſentiam & ſubſtantiã eius ex *Agendæ* præſcripto circumſtant: atq; ita demonſtrares ad oculum, quam vos etiam ex *Agenda* Baptiſmum adminiſtrantes, ad vnicam verbi ſcripti NORMAM vos dirigatis. Nihil verò minus egiſti, dum formam verborum Baptiſmi, vnâ cum ablutione aquæ ad Baptiſmi ſubſtantiam & eſſentiam ſpectantem, tacitus omninò præteriuiſti.

Atq; ego quidem cum ex *Ioan: c.3.v.5.* probares, aquã ad Baptiſmum eſſe neceſſariam, exiſtimabam, te proximè, quod exigebat ordo neceſſarius, verborum item formam Baptiſmo neceſſariam ex præcepto CHRISTI & eſſentialem, probaturum: ſed tranſiliuiſti ad candicantem ab iam baptizatis indui ſolitam veſticulam: nec poſtea quo debueras vnquam redijſti. Quid ita? quia ex verbis præcepti, quæ Matth: habet illo c. 28. v.19. præceptam ab *Agenda* verborum formam, Baptiſmo eſſentialem docere non poteras. docuiſſes aliunde.

Ecce, mi homo, qui ex verbis præcepti docere non poteras ablutionem aquæ neceſſariam eſſe (neq; enim cum dicit CHRISTVS *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* aquæ meminit) eam neceſſariam ex ſupra citato Ioannis verbo rectè doces. cur itaq; aliunde non doces, quod ex verbo præcepti docere non potes, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam, Baptiſmo CHRISTI eſſe neceſſariam & eſſentialem? Nimirum, quam ex præcepto docere non potes, aliunde quoq; ex ſcripto Dei verbo cum docere non poſſes, tacitus omninò præteriuiſti.

Multo

Digitized by Google

Multo enim minus expreſſam habes alibi verborum Baptiſmi formã, quã verbis præcepti apud Matth: expreſsi.

Ergò, quia nuſquã ex ſcripto Dei verbo Baptiſmi formam docere poteras, cum de alijs ceremonijs ab *Agenda* Baptiſmo præſcriptis, dixiſses aliquid, de illa nihil penitus dixiſti. ſi nihil dixiſti, nihil ergò penitus ad id, de quo ego quærebam, reſpondiſti. Neq; enim de alijs Baptiſmi ceremonijs, ſed de vna verborum forma, quam eſſentialem Baptiſmo *Agenda* præſcribit, inquiſiui. Si autem nihil penitus ad id, de quo ego quærebam, reſpondiſti, quanquã prolixiſsimè, & cõtentiſsimè dixeris, coràm me PHARISÆO magnus tuorum CHRISTVS obmutuiſti. Et inuitâras tamen auditurum cũ alijs te reſpondentem: quod præfidentiæ fuit. & reſpondiſſe te mihi vt receperas: quod eſt vaniſsimum, gloriaris.

Non diſsimulo autem quæ in poſteriori hoc verbo tuo, quod pro reſponſo mihi dato haberi vis, præter ſinceritatem verbi diuini Miniſterio debitam, admiſiſſe te adnotaui; & adnotarunt vnâ mecum alij.

Primùm: enumerantem te omnes alias ceremonias, tam accidentales, quam ſubſtantiales Baptiſmo, diſsimulaſſe, quã vnam, vt ex ſcriptura demonſtrares, exigebâre. Nempe pro debita verbi diuini Miniſterio ſinceritate, reliquis omnibus enumeratis, cum eas vel in ſcripto Dei verbo fundatas, vel Dei verbo ſcripto conformes eſſe demonſtraſſes; videri voluiſti demonſtraſſe, quod maximè debebas, & præteriuiſti, etiam præſcriptam ab Agenda verborum formam Baptiſmo eſſentialem eſſe.

Sed reuera nõ es id viſus demonſtraſſe ijs, qui habuère oculos, & vnâ tecum peruiderunt, quid te oportuerit ex quæſtione mea demonſtraſſe. Audi quid demonſtraris ad oculum. Fucum te nobis facere voluiſſe: perinde ac ſi

eam etiã, quam exigebare, verborum formam, vti eſſentialem Baptiſmo indidem probaſſes, vnde probare conatus es, reliquas in Baptiſmo adhiberi ſolitas ceremonias, vel Dei verbo conformes eſſe; vel in Dei verbo expreſſas Fruſtra verò jeciſti rete ante oculos pennatorum.

Alterum, quod præter ſinceritatem Miniſterio verbi diuini debitam, admiſiſſe te aduerti, & vnà mecum alij, eſt: enumerantem, & probantem te ex ſcriptura alias ab ea, quam debebas Baptiſmi ceremonias, interlocutũ eſſe, & dixiſſe: viſurum te libenter, vbi *Agenda* doceat, totam Baptiſmi formulam, & ceremonias, quas enumerabas, ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi pertinere. cũ enim hoc diceres inter ea, quæ tanquã mihi, & ad mea reſpondens diceres, inſinuaſti: *Agenda* me imponere, quaſi doceat, omnes à te enumeratas ceremonias, & totã Baptiſmi formulam, ad eſſentiam & ſubſtantiam eius pertinere. meq; præter jus & fas, ex FIDE TVA exigere, vt probes ex ſcripto tantùm Dei verbo, totam Baptiſmi formulam ab Agenda præſcriptam, eſſentialem eſſe Baptiſmo.

Nihil verò minus in meis legas, vel deducas ex illis, quantumuis (à quo te tamen alienum exiſtimo) per extremam omninò malitiam contenderes, aliorſum quæ à me accepiſti, ſiniſtra interpretatione detorquere. Nihil enim aliud in meis legas, quam ex ſcripto Dei verbo, & FIDE TVA probari non poſſe: Baptiſmum, quem juxta *Agendam* adminiſtras, eſſe Baptiſmum CHRISTI: quia probare non poſſis ex FIDE TVA, qua vnum ſcriptum Dei verbum admittis, TRADITO Dei verbo penitus excluſo, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam, quæ ex eiuſdem *Agendæ* confeſsione, vnâ cum ablutione aquæ ad ſubſtantiam & eſſentiã Baptiſmi ſpectat, Baptiſmo CHRISTI adhibendam eſſe.

Relegę ſi placet, quæ accepiſti, & vnâ tecum de tuis quicúnq; alius: atq; cũ aduerteritis, licet ex *Agenda* citem, ablutionem aquæ, ſub præſcripta verborum ad eſſentiam & ſubſtantiam Baptiſmi pertinere; nulla tamen aquæ & ablutionis vlteriori mentione facta, vrgere ſolùm, vt probes ex ſcripto Dei verbo, præſcriptam verborum formã Baptiſmo eſſentialé eſſe: pronuntiate: An vel ego *Agendæ* imponere potuerim, quod impoſuiſſe clarè ſatis inſimulatus ſum; vel à te exegiſſe, vt probes ex FIDE TVA, & ſcripto Dei verbo, reliquas etiam à præſcripta verborũ forma, ſiue accidentales, ſiue ſubſtantiales ceremonias, atq; adeo totam Baptiſmi formulam ab *Agenda* præſcriptam, Baptiſmo eſſentialem eſſe.

Si enim vnam duntaxat verborum Baptiſmi formam vrgeo, ſimul cum ablutione aquæ, velut eſſentialem ab *Agenda* præſcriptam; & vlterius ablutionis aquæ non memini; de alijs autem Baptiſmi ceremonijs, vtpote ad rem noſtram nihil omninò facientibus, ne memini quidem: obſecro qui vel *Agenda* imponere potui, quod impoſuiſſe inſimulatus ſum, vel præter fas & jus exegiſſe, vt probes ex FIDE TVA, & ſcripto Dei verbo, vniuerſas Baptiſmo ab *Agenda* præſcriptas ceremonias, illi eſſentiales eſſe? quarum ideo omninò non memini, quia certus eſſem & ex FIDE TVA, & ex *Agendæ* confeſsione; & quod caput eſt ex FIDE MEA, & veritate rei, quam amplector, Baptiſmo eſſentiales non eſſe.

Grauatum me verò hoc FALSI CRIMINE per CRIMEN FALSI: te autem inhonoraſse, quem alienis à meo ſtatu, & conditione titulis videri voluiſti honorare: atq; adeo, quod tibi poſtea de ſuperiori loco jure meritò eſt obiectum, ex eodem te ore, eadem concione, & calidum, & frigidũ flauiſſe; & me ſuggerente, qui læſus ſum, agnoſ-

ce: & quam debes, non tam mihi, quam Miniſterio verbi, inter quod me læſiſti, ſatisfactionem para. Optem ex animo, ſit ex Dei gratia, non ad huius ſolùm culpam; ſed & aliarum tuarum omnium acceptabilis in conſpectu Dei!

Eſt demùm & aliud non diſsimulandum, quod item præter ſinceritatem verbi diuini Miniſterio debitam, alienorum etiam à nobis judicio, tota illa tua, tam prolixa concione, admiſiſti. Diſputaſſe te in vtramq; partem prolixiſsimè, quod non quærebatur: An ſcriptum Dei verbum, vna ſit Norma fidei, & Agendorum ex fide. & cum propoſuiſſes quæſitum meum, vt videreris ex illa diſputatione reſponſurus ad illud; nihil te omninò, vti probatum eſt, nec inde, nec aliunde reſpondiſſe. Eo nimirùm ſpectauit tota tua de THESI diſputatio, vt illa fatigati auditores tui, nec quem ab initiò propoſueras inter nos controuerſæ HYPOTHESEOS ſtatum retinerent amplius: nec aduerterent, ad quæſitum te meum nihil penitus reſpondiſſe.

Familiare eſt autem vobis, vt video, per diuerticula, quas nobiſcum initis ſiue verbo, ſiue ſcripto diſputationes, obſcurare. Nam & *Bartholomæus Rulichius*, Auguſtæ Vindelicorum Symmyſta tuus, eandem hanc quæſtionem à me ſibi propoſitam, multiplici, eaq; diſparata quæſtione prima ſua ad primam meam ad ſe datam reſpondens, eſt obſcurare conatus. quam pro ſinceritate verbi diuini Miniſterio debita, vos de vobis judicatote.

In probrum autem tuum tam prolixè diſputaſti, quod totis meis ſcriptis ego te docere ſuppoſui: vt cum ex ſcripto Dei verbo non doceres, quod exigebaris; & nihilominus tam contentè & operoſè conareris euincere, vnicam fidei Normam eſſe verbum Dei ſcriptũ, apertiſsimè fatereris, verborum formam ab *Agenda* præſcriptam, quia

in verbo

in verbo Dei ſcripto non ſit, nec deducatur ex illo, Baptiſmo eſſentialem non eſſe. Id autem ſi extorſit à te vis argumenti, ad quod, vt oſtendi, nihil omninò reſpondiſti, firmauitq; illa tua de fidei Norma, tam prolixa & contenta diſputatio; ſtant immobilia, quæ contra te intuli, & ſtatui altera ad te epiſtola mea.

Vt omninò, quicquid ſub illam diſputationem declamando reclamaueris: Ex FIDE TVA nec baptizatus ſis Baptiſmo CHRISTI: nec alios Baptiſmo *CHRISTI* baptizes: & quod idem eſt, nec Chriſtianus ipſe ſis: nec quos ex præſcripto *Agendæ*, Chriſtianos facias. quorũ illo, ipſe tu, quia in Eccleſia Dei non es, quia baptizatus non es, extra ſpem ſalutis es. hoc à te baptizatos, quia baptizati non ſint, per apertam iniuriam, & Dei Eccleſia, & ſpe ſalutis arces. tot gehennæ filios ex FIDE TVA cõſtituens, quod vnâ tecum ex *Agendæ* præſcripto & baptizantur, & ſunt baptizati.

Nec hiſce te tricis vnquam expedias, quibus te multo maximè illa dictione tua, & argumento dictionis intricaſti; niſi vel retractes, quod tractaſti: vnicam fidei Normam eſſe verbum Dei ſcriptum: vel adhuc probes, quod non probaſti, ex ſcripto Dei verbo, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam Baptiſmo CHRISTI eſſentialẽ eſſe.

Et quia tantùm abeſt, vt hocce poſterius vnquam probes; vt ex ſcripto Dei verbo nullo modo probes, aliquod omninò verbum ad CHRISTI Baptiſmum requiſitum eſſe: quod reliquum, benè retracta, quod tractaſti malè: vnicam Normam fidei, eſſe verbum Dei ſcriptum. Et habes ex TRADITO verbo Dei, quod cum ſcripto eſt Norma fidei: & Baptiſmum, *CHRISTI* vt eſſentiali quã præfert *Agenda* verborum forma conſtare: & te eo baptizatũ Baptiſmo CHRISTI baptizatum, & Chriſtianum eſſe.

Digitized by Google

Baptizantem quoq; alios ex *Agendæ* præſcripto, verè baptizare, & Chriſtianos facêre. Et qua quidem baptizatus es cum illis ex *Agendæ* præſcripto, cum illis ingreſſum te in Eccleſia CHRISTI, per Baptiſmum CHRISTI: ex quo ſpe ſaluus factus ſis, & reipſa ſaluandus, niſi culpa tua excidas ſalute, cuius ſpem certam habes ex Baptiſmo CHRISTI.

CONFVTATIO RESPONSORVM AD QVAEſitum meum; quæ pro concione die 13. Decembr. Anni 1615. dediſti.

VT obmutuiſse te CHRISTVM coràm me PHARISÆO, & proclamarunt, oſtenderuntq; iam ante ex cathedra Noſtri duo, & poſt illos ego ſuperiori meo ad te libello, etiam ad quos eorum vox non pertinuit, inuulgatum cupio: ita in hoc altero, vocalem te factum abſente me, in medium produco, & quæ dediſti reſponſa, vt confutem. Prius autem vel ex poſteriori tua concione, in qua, cum abeſſem, es ad mea reſpondere conatus, obmutuiſſe te coràm me in priori illa, breuiter oſtendo.

Eorum enim, quæ pro reſponſis attuliſti in hac poſteriori, nihil in priori me coràm attuliſti: quæ tamē vna ſint, ſi quæ ſint te digna ad quæſitum meum reſponſa. nihil ergo me coràm reſpondiſſe te CHRISTVM, vel poſterior illa tua concio, qua me abſente es reſpondere conatus, euidenter oſtendit. vt meritò commutatis ex facto perſonis, vſurpare poſſim quæ in nos iactaſti: PHARISÆVM te in abſentes DN: CHRISTOS & vnctos garriuiſſe, qui ad eorum præſentiam obmutueris.

Triplex verò fuit illa poſteriori contra me concione, ad quæſitum meū reſponſum tuum. Primò enim negaſti conſequentiā probationis aduerſum te meæ: ea de cauſa, quia diceres, habere præter leges bonæ Dialecticæ terminos quatuor.

Deinde non iure à te exigi, vt ex ſcripto Dei verbo demonſtres, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam Baptiſmo, quia *Agenda* non ſit verbum Dei: quia eam homo fecerit, omnem autem hominem mendacem eſſe: quia demum *Agendæ* credere non tenearis, niſi in quantũ cum ſcriptura conueniat.

Tertiò deniq; præſcriptam ab *Agenda* verborum formam Baptiſmo, ex ſcripto Dei verbo es demonſtrare conatus. Ordine verò, quo propoſuiſti tuum ducatum ſecutus, ad examen ſingula reuoco; proteſtatione præmiſſa: Nihil me tibi impoſiturum vt impugnem; ſed tua tantùm, ex ore non duûm, ſed trium fidelium teſtium, quos vt exciperent ſubmiſi, ad me perlata.

Non fuiſſet opus hac proteſtatione, ſi quod receperas, & par erat, ſcripto reſpondiſſes mihi. Et facturum ex Dominis Directoribus vnus, etiam poſt habitam à te alteram hanc aduerſus me concionem vni ex Patribus noſtris firmauit. Fruſtrà verò ſum id refricans; niſi quod neglectum hoc à te officium, & pro tuo me honore ſollicitum reddat: & pro fide mea. ne dum tu, non abſq; nota, poſt factam tibi poteſtatem, & impoſitum à ſuperiore mandatum, declinans ſcriptionem cogis, vt ex te audita examinem, & confutem; aliqua tibi per calumniam imponi cõquerare. quanquam teſtium, quos ſubmiſi fideles, contra calumniam me tuetur fides. tu, quam incurriſti notam vti aboleas, vide. Ad rem autem.

EXAMEN PRIMI, AD PROBATIONEM contra te meam reſponſi tui.

PRimum ergo ad probationem contra te meam reſponſum tuũ fuit, Negatæ conſequentiæ: quia, cõtra & præter leges dialecticas, quatuor omninò terminis cõſtaret.

Ad quod egò nihil aliud, quã vt ſcriptam ad te contra

te pro-

te probationem meã, totidem omninò verbis adducam. in qua niſi quatuor terminos, de quibus illam redarguis, oſtendas, neceſſe eſt: vt vel mihi probationem contra te quatuor terminis conſtantem affinxeris per calumniam: vel per inſcitiam ex tribus meæ probationis terminis, quatuor omninò computaris. illud ego tibi non tribuo; quia exceptores mei, prolatam à te probationem meam exaudiſſe videbantur eam, quam in altera ad te epiſtola mea contra te formaui. hoc ergo à me jure tibi tribui, adducta inde probatione euidenter oſtendo.

Ita enim ego contra te, vt ex autographo ipſe recognoſcas licet ex FIDE TVA non probas, niſi quod ſcriptũ eſt: non eſt autem ſcriptum, Baptiſmum quẽ juxta *Agendam* Auſtriacam adminiſtras, eſſe verum & legitimum quia nuſquam ſcriptum eſt, quod habet *Agenda* tua, Baptiſmum ſub præſcripta ab illa verborum forma vti eſſentiali adminiſtrandum eſſe: ex FIDE ergo TVA non probas, Baptiſmum, quẽ adminiſtras juxta *Agendam* tuam, verum & legitimum eſſe Baptiſmum.

Rurſus: ex FIDE TVÂ Baptiſmus CHRISTI nõ eſt, niſi quem ſcriptum eſt eſſe Baptiſmum CHRISTI: non eſt autem ſcriptũ eſſe Baptiſmum CHRISTI, quem juxta *Agendam* tuam adminiſtras: quia itidem ſcriptum non eſt, Baptiſmum CHRISTI ſub præſcripta ab illa verborum forma adminiſtrandum eſſe: ergo ex eadem FIDE TVA Baptiſmus, quem adminiſtras juxta *Agendam* tuam, non eſt Baptiſmus CHRISTI.

Duplex eſt autem hæc probatio contra te mea, per duplicem Syllogiſmum: altera, qua probo contra te, Baptiſmum, quem juxta *Agendam* adminiſtras, non eſſe verũ & legitimum Baptiſmum. altera, qua probo, Baptiſmum quem juxta *Agendam* adminiſtras, non eſſe Baptiſmum

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTI. vtrumq; ex illo tuo principio, quod tam prolixa,& contenta dictione, cui interfui, es demonſtrare conatus. Nihil omninò probandum,& credendum FIDE DIVINA, quod vel non ſit ſcriptum in Dei verbo: vel quod ex ſcripto Dei verbo non deducatur euidenter.

Primam autem probationem meam, tribus duntaxat terminis conſtare, planum eſt. in ea enim tantùm ſunt ſubſequentes termini : ſcriptũ eſt : probas ex FIDE TVA: & Baptiſmum, quem juxta *Agendam* Auſtriacam adminiſtras,eſſe verum,& legitimum. quorum primus eſt,*medius terminus* : ſecundus,*maius extremum* ; tertius,*minus extremũ*. nec demonſtres quartum, niſi in hac probatione *minus extremum*, quod eſt in ſubſumptione, per inſcitiam in plures terminos diuidas, cum ſit vnus & indiuiſibilis. quanquam enim complexus ſit, pluribus cõſtans, vtpote *oratio*; prout eſt tamẽ in hac probatione, tantus quantus vnus eſt *terminus*; nec diuiſibilis, nec diuidendus in plures. Quod planũ ſit ex eo. Nam de toto illo cõplexo prædicatur *medius terminus*, qui eſt, ſcriptum eſt. Subſumptio enim eſt : ſed Baptiſmum,quem juxta *Agendam* tuã adminiſtras, eſſe verũ & legitimum Baptiſmum ſcriptũ non eſt. Ergo cũ *medius terminus*, quando prædicatur,non prædicetur niſi de *extremo* quantumuis complexo,quia in hac probatione de toto illo complexo prædicatur, totum illud complexum erit alterum extremum: quod prout eſt in hac probatione diuiſibile non ſit in alios terminos. conſequenter, probatio mea tribus duntaxat *terminis* conſtabit. quibus per meram inſcitiam adnumeretur quartus, ex *minoris extremi* diuiſione. hic enim, prout eſt in hac probatione, nec poteſt, nec debet diuidi.

Per eandem planè inſcitiam adnumeraueris quartum *terminum* illis tribus,ex probatione *minoris*, quæ *minori* pro-

Digitized by Google

poſitioni, & ſubſumptioni eſt ſubiuncta. *Minorem* enim illam: Non eſt autem ſcriptũ, Baptiſmum quem juxta *Agendam* Auſtriacam adminiſtras, eſſe verum & legitimum, ſubiuncta ratione ſic probaui. quia nuſquam ſcriptũ, quod habet *Agenda* tua, Baptiſmum ſub præſcripta ab illa verborum forma, vti eſſentiali adminiſtrandum eſſe. Itaq; cum tota probatio *minoris* ſit extra primũ Syllogiſmum, qui habet tantùm tres terminos, vt probatum eſt, non niſi per ſummam inſcitiam, ex probatione *minoris*, quæ eſt extra primum Syllogiſmum, tribus illius terminis, quibus vnis & ſolis conſtat, quartum annumerabis: meæq; probationi quatuor item terminos affinges.

Idem etiam eodem modo probes, ipſe tu de altera probatione mea Syllogiſmo concluſa: vt non ſit opus id eodem modo ad longum deducere. Minor enim propoſitio duos illos tantùm complectitur terminos: Baptiſmum CHRISTI, quem juxta *Agendam* adminiſtras: & ſcriptum non eſt: quorum hic eſt *medius terminus*, qui de illo tanto quanto, & quantumuis complexo, in hac tamen probatione indiuiſibili in plures terminos, prædicatur. His autem ſi adiungatur tertius, qui eſt in *maiori* propoſitione, præter *medium terminum*; in tota probatione Syllogiſmo cõcluſa, non niſi tres termini ex præſcripto Dialecticæ reperientur. nec niſi per meram inſcitiam, eamq; valdè craſſam vel diuiſo altero Syllogiſmi extremo, quod diuidendum non eſt, vel ex probatione *minoris*, quæ eſt extra Syllogiſmum, quatuor in meo Syllogiſmo termini aſsignari poſſunt, vt tu diceris aſsignaſſe.

Ne autem ullo prætextu dialecticæ formæ, probationes contra te meas reijcias, proponam eas, ijſdem omninò terminis retentis. vt clarius oſtendam, tribus duntaxat terminis conſtitiſſe.

Pri-

Primam in hunc modum. *illud omne, & ſolum quod ſcriptum eſt, probas ex* F I D E T V A: *Baptiſmum quem juxta Agendam Auſtriacam adminiſtras, eſſe verum & legitimum, non eſt ſcriptum:* ergo *Baptiſmum quem juxta Agendam Auſtriacam adminiſtras, eſſe verum & legitimum, non probas ex* F I D E T V A. In hac enim probatione habes duos terminos, *maius, & minus extremum*; quorum vnum ab altero remouetur in concluſione: tertium *medium terminum* in præmiſsis contentum, qui ex lege dialectica, nõ ingreditur concluſionem: præter hos autem alium non oſtendas. Ergò cum ijdem omninò ſint termini in hac, & in priori probatione mea; vti in hac non ſunt quatuor, ita nec in illa. quibus etiam non niſi per inſcitiam, ſi abſit malitia, quartus *terminus* affingatur.

Alteram verò ſic: *Ille ſolus & omnis Baptiſmus, quem ſcriptum eſt eſſe Baptiſmum* C H R I S T I, *eſt ex* F I D E T V A *Baptiſmus* C H R I S T I: *Baptiſmum quem juxta Agendam adminiſtras, non eſt ſcriptum eſſe Baptiſmum* C H R I S T I: ergò *Baptiſmus, quẽ juxta Agendã adminiſtras, nõ eſt ex* F I D E T V A *Baptiſmus* C H R I S T I. Hæc itidem vt prior, concluſione præfert duos *terminos*: præter quos, & in præmiſsis *medius terminus*, qui non ingreditur concluſionem: ille nimirùm: Baptiſmus quẽ ſcriptum eſt eſſe Baptiſmum C H R I S T I. Extra hos autẽ tres terminos quartum, quem des, non habes: niſi per meram inſcitiam *extremum* diuidas, quod diuidi non poteſt. vel *medium terminum*, itidem vt illud, indiuiſibilem. Ergo cum iſthæc etiam probatio eiſdem terminis conſtet, quibus altera illa in epiſtola mea ad te data conſtat; vti hæc probatio tribus tantum conſtat, ita & illa.

Vt proinde nullius harum probationum conſequentiam abſq; inſcitiæ graui nota negaueris, perinde ac ſi quatuor terminis conſtiterint: quas tribus duntaxat conſtitiſſe, & conſtare, eſt manifeſtè pobatum. Con-

Digitized by Google

Concludo, & dico: Inſipiens factus ſum, Theologicis hæc dialectica interſerens, ſed tu me coëgiſti.

EXAMEN SECVNDI AD PROBAtionem meam reſponſi tui.

ALterum reſponſi tui caput eſt: Non exigi à te jure, vt ex ſcripto Dei verbo demonſtres, præſcriptã ab *Agenda* verborum formã Baptiſmo, atq; id etiam triplici de cauſa: & quia *Agenda* non ſit Dei verbum immediatum: & quia eam homo fecerit: *omnis autẽ homo mendax*: & quia *Agenda* ſolum in tantũ credere tenearis, in quantum cum ſcriptura conueniat.

Iure me verò à te exigere, quod exigo, ex ijs, quæ in cõtrarium affers, demonſtro. Dicis ergo primùm: jure me non exigere, quia *Agenda*, quæ præſcribit verborum formam Baptiſmo, non eſt verbum Dei immediatum. At præfert ea, ex inſtitutione CHRISTI, quæ conſtituant Baptiſmum CHRISTI, & in his verborum formam, quæ ſit de eſſentia Baptiſmi CHRISTI. Iure verò exigitur à te, qui CHRISTI Baptiſmum ex *Agenda* adminiſtras, vt cum reliquis ex mandato CHRISTI ad Baptiſmum requiſitis, etiam verborum formam, quam præſcribit *Agenda* ex ſcripto Dei verbo probes; qui cũ ipſo vſu quotidiano, probes Baptiſmum ex præſcripto *Agendæ* adminiſtratum, nihil tamẽ in fidei rebus probas, quod ex ſcripto Dei verbo non probes.

Deinde. vt vt *Agenda* non ſit verbum Dei, continet tamen verbum Dei, eo ipſo quod continet inſtitutionem Baptiſmi, & eſſentialium eius. Neq; enim inſtitutio Baptiſmi, & eſſentialium eius aliunde, quam ex inſtitutoris Dei verbo haberi poteſt. Ergò cum & ipſa verborum forma Baptiſmo eſſentialis ſit, aliunde quam ex Dei verbo haberi non poterit. Ergo cum per te, qui ſolùm ſcriptum

Digitized by Google

Dei verbum admittis, ex ſolo ſcripto Dei verbo haberi poſsit; jure à te exigitur, vt ſcriptum Dei verbum promas, ex quo præſcriptam ab *Agenda* verborum formã, vt eſſentialem Baptiſmo adhibendam probes.

Ad hæc: verbum tuum, quo doceas, ſolum ſcriptum Dei verbum, eſſe vnicam FIDEI NORMAM: non eſt vtiq; verbum Dei, & tamen id cum nõ exigerere, ex verbo Dei probare conatus es; & id aſſerens, exigâre meritò, vt quoniam nihil admittis, quod ſcriptum non eſt, probes ex ſcripto Dei verbo, verbum ſcriptum vnicam eſſe FIDEI NORMAM. Ergo pari omninò ratione, quanquam *Agenda* Dei verbum non ſit; quia tamen docet ex mandato Dei præſcriptam verborum formam Baptiſmo adhibendam, à te, qui Baptiſmi ex *Agendæ* præſcripto adminiſtrans, doctrinam eius facto ipſo probas, meritò exigitur, vt præſcriptam ab illa verborum formam ex ſcripto Dei verbo probes.

Deniq; ex eo quod *Agenda* Dei verbum non ſit potius ſequitur, jure à te exigi, vt præſcriptam ab illa verborum formam ex ſcripto Dei verbo probes. Si enim ipſa eſſet verbum Dei, non eſſet opus verbo Dei, vt probaretur ex verbo Dei, quã præſcribit verborum formam Baptiſmo. ipſa enim quæ præſcriberet, eſſet verbum Dei, ex quo cõſtaret præſcriptam verborum formam adhibendam Baptiſmo. Nunc autem cum ipſa non ſit verbum Dei, præferat autem inſtitutione & mandato CHRISTI, præſcriptam à ſe verborũ formã adhibendã Baptiſmo, jure meritò exigitur à te, qui vſu ipſo probas, quod *Agenda* docet; & tamen in FIDEI rebus nihil probas, quod ſcriptum nõ ſit, vt ex ſcripto Dei verbo probes, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam adhibendam eſſe Baptiſmo.

TRANSEO ad examen alterius cauſæ, qua in mediũ

Digitized by Google

allata, & dignitatem *Agendæ* præter illi debitam à te reuerentiam eleuaſti, apud tuos: & apud noſtros, quod intendebas, non es aſſecutus. Aiſti enim: immeritò à te exigi, vt præſcriptam ab *Agenda* Baptiſmo verborum formam ex ſcripto Dei verbo probes, quia *Agendam* homo fecerit: omnis autem homo mendax. Primùm enim, ſi hæc ſint ad rem, quantum quidem aſſequor, hic ſenſus eſt eorum. Immeritò à te exigi, quod exigitur, quia *Agenda* hominis non Dei, ac proinde mendacis, non veracis opus, & verbum ſit. opus autem, & verbum mendacis, mendacium eſſe, & falſitatem. Cum ergo mendacis, & falſitatis probatio ex ſcripto Dei verbo jure non exigatur, jure à te nõ exigi probationem, præſcriptæ ab *Agenda* verborum formæ ex ſcripto Dei verbo.

Non accepto, mi homo, in iniuriam Eccleſiæ Lutheranæ in Auſtria congregatæ, hanc cauſam tuã. vt tu eam propalàm ad concionem tuam, abſq; illius iniuria produxeris, tu vide. Certè graue eſt: Te, vnum Eccleſiæ veſtræ Miniſtrum in Auſtria, ex cathedra docentem populum, de recepta ab Eccleſia veſtra rituali *Agenda*, ex qua tu ipſe, & reliqui Miniſtri veſtri adminiſtratis Sacramenta veſtra, ea pronuntiare, ex quibus conſequatur, nõ ſolùm *Agendæ* partem, de qua controuertimus, ſed totam omninò *Agendam*, FALSITATEM eſſe, & MENDACIVM. Tantam enim quantã homo fecit, qui MENDAX fuit. & acceptauit MENDACIVM Eccleſia veſtra in Auſtria; quæ *Agendam* ab Homine MENDACI factam acceptauit.

Aliter, & pro reuerentia debita, de *Agendis* Eccleſiarum veſtrarum, quas vtiq; non alius, quam homo fecit, *Bartholomæus Rulichius* Auguſtanus Symmyſta tuus, altera ad me ſua. Audi, & tua cum illius confer. De illis enim, vtiq; non ab alio, quam ab homine factis; nec ab homine,

quem

quem dicas, vel Prophetam, vel Apoſtolum, vel Euangeliſtam, per quos DEVS locutus fuerit, vel ſcripſerit, vt per illos: ſed ab Homine, qui Eccleſiæ veſtræ perinde ac tu Doctor fuerit, & Eccleſiaſtes.

Agendæ, ſcribit *Rulichius*, Eccleſiarum noſtrarum, nuſquam recedunt ab illa forma verborũ Domini: nihil immutant: de ſuis verbis nihil affingunt; ſed tantùm verbis CHRISTI in Euangelio deſcriptis, inſiſtunt, & inhærent. Ex quo infert. perinde igitur ratus, & validus eſt Baptiſmus, & quidem CHRISTI Baptiſmus eſt, ſiue ex præſcripto Auſtriacæ, ſiue Auguſtanæ, ſiue aliûs Eccleſiæ cõferatur. modo & CHRISTI inſtituto, & verbis ab eodẽ expreſsis adminiſtretur. Hæc *Rulichius*.

Cui ſi tu quæ mihi: *Agendam* Hominem feciſſe: omnis autẽ homo mendax: ne inciuiliter *MENDACII* te arguat, ex verbo tuo te *MENDACEM* eſſe concedet, & *Agendam*, licet eam nunquam viderit, dum Lutheranam audiat, & ad amuſſim Confeſsionis Auguſtanæ exactam, in particulari quod attinet ad præſcriptam verborum formam, VERISSIMAM, & ab omni mendacio alienam pronuntiabit. atq; ita quidẽ, vt nihilominus ab Auſtriacis Miniſtris, qui vtantur illa, & ex FIDE SVA nihil quod ſcriptum nõ ſit, probent, jure meritò exigi pronuntiet, quod ego à te exigo: vt probes, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam Baptiſmo CHRISTI adhibendam eſſe.

Et jure me id à te exigere rurſus inde probo, vnde tu contendis, me à te id jure non exigere. Sit enim quod eſt, *Agendam* ab HOMINE & MENDACE HOMINE factam eſſe: quia tamen Baptiſmum ex eiuſdem præſcripto adminiſtras, ne videare per MENDACIVM ab HOMINE MENDACE obtruſum tibi Baptiſmũ, pro Baptiſmo CHRISTI adminiſtrare, exactus probationem eius, & in primis

eſſen-

eſſentialis formæ, jure exigeris, & dare debes, ex ſcripto Dei verbo, quod vnum admittis. Iure ergo à te inde probationem exigo præſcriptæ ab *Agenda* verborum formæ, vnde tu illam contendis me à te non exigere jure.

Confirmò id etiam ex eo, quod non exigeretur jure præſcriptæ ab *Agenda* verborũ formæ probatio, ſi *Agenda* eſſet proximè à Deo, vt ſunt libri canonici: quia ipſa eſſet ipſiſsimum Dei verbum, cui falſum ſubeſſe non poteſt. Ergo è contra, quia *Agenda* non eſt à Deo proximè, ſed ab homine, cuius verbo ſubeſſe poteſt falſum: omnis enim homo mendax: probatio præſcriptæ ab illa verborum formæ exigitur jure, & quidem ex ſcripto Dei verbo, cui falſum ſubeſſe non poteſt.

Idem verò etiã ſic confirmo, quia in vniuerſum, eius verbi ex certo & indubitato verbo, jure meritò exigitur probatio, de cuius veritate jure meritò dubitari poteſt. De verbi autẽ humani veritate, jure meritò dubitari poteſt; ſiquidem eſt ab homine, de quo pronuntiaſti: omnis homo mendax: ergo de verbi humani veritate ex certo, & indubitato jure meritò exigitur probatio. Ergo, cum præſcripta ab *Agenda* verborum forma, ſit ab homine, & humanum verbum: tota enim *Agenda* eſt ab homine: jure meritò ex certo & indubitato Dei verbo, quod vnum tibi ſcriptum Dei verbum eſt, eius à te exigitur probatio.

Deniq; nec ex tertia quam attuliſti cauſa demonſtres, à te jure non exigi, præſcriptæ ab *Agenda* verborum formæ probationem: quia *Agendæ* non tenearis credere, niſi in quantum cum ſcripto Dei verbo conueniat. Eſto enim hoc: quia tamen in adminiſtratione Baptiſmi ipſo *Agendæ* vſu ſignificas, credere te, præſcriptam ab illa verborum formam adhibendam eſſe Baptiſmo: ne videare *Agendæ* credere in eo, in quo cum ſcripto Dei verbo non conue-

Digitized by Google

niat; & tu teneris probare præſcriptam verborum formã, ſi exigaris, ex ſcripto Dei verbo: & jure meritò exigaris, à quouis, cui perſuaſum eſſe vis, nihil te credere, niſi quod ſit in ſcripto Dei verbo, aut ex ſcripto Dei verbo deducatur euidenter.

Hæc ego ad alterum reſponſi tui caput, & eius partes. Non committo autem quin moneam, vt de *Agendis* Eccleſiarum veſtrarum, & melius ſentias, & reuerentius loquaris. Certè enim ſi eas agnoſcis pro *Agendis* Eccleſiarũ veſtrarum, quas vultis reformatas ad purum putum DEI VERBVM, neceſſe eſt concedatis, præferre illas veram inſtitutionem Sacramentorum CHRISTI, & alia ex præcepto CHRISTI, propter quæ, nullo modo redigendæ ſint in MENDACISSIMORVM quorumq; ſcriptorum ordinem: de quibus perinde, vt tu dicis de *Agenda*, dici poſſit: Ab *HOMINE* facta. omnem autem *HOMINEM MENDACEM* eſſe. Et in tantũ te illis credere teneri, in quantùm cum ſcripto Dei verbo conueniant, Hiſce enim non tantùm in Autores, & receptatores Agendarũ, quæ ſunt particulares Eccleſiæ veſtræ, puta *Auſtriaca, Auguſtana, Ratisbonenſis*, cæteræ; ſed & in diuina, quæ Agendæ cõtinent, es vehementer iniurius.

EXAMEN TERTII, AD PROBATIONEM meam reſponſi tui.

VEnio nunc ad tertium reſponſum tuum, quo te ſuperius dixi, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam, ex ſcripto Dei verbo probare conatum. Dabis autẽ mihi veniam, ſi quæ perturbatè ſunt ad me ex dictione tua allata, redigam in ordinem, vt ordine ad illa reſpondeam.

Primùm ergo contra id quod ego contendi, ex ſcripto Dei verbo probari non poſſe, verbum ullum, nedum verbum ab *Agenda* præſcriptum, ex inſtitutione CHRISTI

Digitized by Google

& præcepto adhibendum eſſe Baptiſmo, conatus es probare: verbum omninò adhibendum eſſe. in quod ex Epiſtola *ad Epheſ: c.5.v.25.* illud *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, attuliſti. quod ego in mea prima ad Symmyſtam tuum, Sympatriotam meum attuleram; & probaram: ex eo probari non poſſe, verbum, quod aiunt Sacramentale, Baptiſmo adhibendum eſſe.

Nihil te autem, quod refutem, oppoſuiſſe, retulerunt exceptores mei. quis eſt autem hic modus reſpondendi Aduerſario, vt inde oppoſitum probes, vnde Aduerſarius non poſſe probari demonſtret, & tamen ne mutias quidem, ad fundatam etiam in FIDEI TVÆ principio eius loci explanationem, qua non euerſa, nihil penitus ex illo loco efficias?

Proba ergo ex ſcripto tantùm Dei verbo, quod vnum admittis, Apoſtolum eo loci intelligendum de Sacramentali verbo, quod inſtitutione CHRISTI Baptiſmo interueniat, non de verbo prædicationis, quod ex præcepto CHRISTI illo *Matth:c.28. v.19.* Baptiſmo præmitti debet: & probaſti, quod intendis, inſtitutione diuina Baptiſmo verbum interuenire. Donec autem id probes, nõ eſt quod probaſſe te putes, & glorieris, ex illo Apoſtoli loco aliquod omninò verbum, nedum præſcriptũ ab *Agenda* verbum Baptiſmo adhibendum eſſe.

Idem & aliunde es probare conatus, ſed euentu pari. Aiſti *cap.10. v. 10. ad Rom:* Apoſtolum dicere: *Corde credi ad juſtitiam: ore autem cõfeſſionem fieri ad ſalutem.* Rectè. vnde autem illa cõſequentia: Ergo Baptiſmus inſtitutione CHRISTI adhibito verbo eſt adminiſtrandus? hæc enim eſt tibi hinc firmanda conſequentia, ſi agas quod agis.

Dicas. Baptiſmum eſſe fidei Sacramentum, & confeſſionem ad ſalutem: ore autem juxta Apoſtolum confeſ-

ſionem

ſionem fieri ad ſalutē. ſed nec ſic dicas aliquid. Neq; enim ſi dicas ex Apoſtolo, ore fieri confeſsionem ad ſalutem, vere dicas: omnem confeſsionem ad ſalutem ore fieri. quod niſi dicas, non efficias, Baptiſmum, quia ſit confeſſio fidei, verbo conſtare debere. Scimus enim plures eſſe fidei confeſsiones, quæ fiant ad ſalutem, & ore non fiant. quibus ego ſi Baptiſmum accenſeam, niſi aliud aliquid afferatur, non redarguar ex ſcripto Dei verbo falſitatis.

An non enim confeſsio fidei eſt, genuflexio ad ſalutare IESV nomen; Adoratio DEI & CHRISTI, & ſimilia, quæ abſq; alio verbo præter internum exerceantur? quid ſi ego his Baptiſmū accenſeam, ſola ablutione aquæ, & interno verbo perficiendum? Certè illo S. Pauli verbo non euincas contrarium: & ego ſimilibus è veteri teſtamento euincam, confiteri me fidem externo ablutionis actu, quanquam ad eum oris verbum non adhibeam.

An non enim per circumciſionem manufactam, & externum ſacrificium quodlibet, veteres fidem ſuam profeſſi ſunt ad ſalutem? quos vel ad circumciſionem, vel ad ſacrificium complendum, vt per illa fidem profiterentur, ex neceſsitate verbum oris adhibuiſſe, nec dicas; nec ſi dicas, cuiquam probes. Quid igitur obſtat, quo minus profitear fidem CHRISTI per Baptiſmum, cui verbum ex neceſſitate non adhibeam?

Certè Baptiſmum ſuſcipiens, abſq; verbo, quod addat Baptiſmo, confeſsionem facit ad ſalutem. cur ergo qui baptizat, itidem ablutione ſola, ſine oris confeſsione, non fateatur fidem ad ſalutem? Nihil ergo habes ex Apoſtolo, quod euincat, Baptiſmo ex CHRISTI inſtitutione adhibendum verbum. quanquam ex inſtitutione nobis volentibus & concedentibus libenter, Baptiſmus ſit Sacramentum fidei, & publica eius ad ſalutem confeſsio.

Digitized by Google

Addidiſti tertiam in hoc probationem, ex *19. ca. Acto: Apoſtolicorum.* vbi *v.* 4. legimus Paulum dixiſſe: *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum dicens*: & vrſiſti magnoperè per repetitionem voculam (dicens) perinde ac ſi diceret Apoſtolus. Joannem Baptiſmum quem conferret, verbo quod diceret, compleuiſſe. Nihil autẽ minus dici, ſi pergas legere intelligas. Ita ergo habet integer contextus: *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent: hoc eſt in* I E S V M. Verbum autem hoc, quod Ioannes baptizans dixit, verbum eſt fidem inſtruens, & concionatorium; non Sacramentale, complens & perficiens Sacramentum. vt conſtare etiam poteſt, ex *Luca, Matthæo & Marco,* qui eadem in ſuis Euangelijs referunt, quæ refert hic Lucas in Actis.

Sic enim habet *Matth: c.3. v.11.* videns multos venientes ad Baptiſmum ſuum dixit eis: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Marc. c.1. v.7. & prædicabat dicens: venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto. Luc. c.3. v.16. exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne forte ipſe eſſet* C H R I S T V S, *reſpondit Ioannes dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius*: ipſe vos *baptizabit in Spiritu Sancto & igni.*

Nihil igitur ex his habes, quo probes, verbũ baptiſmo ex inſtitutione C H R I S T I eſſe neceſſariũ. Das vero magnam mihi occaſionem exprobrandi tibi, intolerabilem tuum diuini V E R B I abuſum. Falſus enim Deo teſtis es, quoties veritates Dei, cuiusmodi eſt hæc, quam tractamus,

ex Dei

ex Dei verbo confirmas, quod ad eas confirmandas nihil facit. Nec hoc ſolùm, ſed & Deum ipſum mendacem facis, quem in allegatis locis facis dicere, quod non dicit. Exprobro autem vt errorem hunc corrigam, pro debita verbo Dei reuerentia, ſaluteq; tua, & tuorum: quæ per oſtentationẽ memoriæ, multiplici ſcripturæ allegatione, vt plurimùm nihil ad rem faciente, dícam & falſa, violas, & in diſcrimen adducis.

Iam quod eodem ex jure adduxiſti in examen venit. ſit enim, quod ex jure liquidum eſt: ſtipulationem vſq; adeò conſtare verbis, vt ſine verbis paciſcentium inter ſe non conſtituatur, vnde tu mihi probas, quod ſubſumis, Baptiſmum ſtipulationem eſſe. Non ex veteri, non ex nouo teſtamento. vnde ergo?

Nec dixiſſes ſtipulationẽ eſſe, ſi ad verba, quæ Baptiſmo interueniunt, ſiue ex TVA, ſiue ex MEA FIDE aduertiſses animum. Multo minùs ſi ad ſtipulationum formulas, quas apud Iureconſultos legis. Nam in Baptiſmo, quæ quidem ad Baptiſmum faciant, ſiue ex MEA, ſiue ex TVA FIDE, alia verba non interueniunt, quam quæ cõplectitur præſcripta ab *Agenda* verborum forma. illa vero non præferunt ſtipulationem. Formulæ item ſtipulationum, quæ præuia vnius paciſcentium interrogatione, & ſubſequa reſponſione alterius, cõſtant, Baptiſmo & eſſentialibus eius non interueniunt. Baptiſmus enim abſq; baptizantis interrogatione, & reſponſione baptizati perficitur, dum modò qui abluitur ſub præſcripta verborum forma abluatur.

Nec tamẽ per hæc abnuimus pactum interuenire Baptiſmo, quo is, qui baptizatur DEO & Eccleſiæ ſuſcepta, Chriſtianæ Legis obligatione, ſe ſubijciat; DEO & Eccleſia ſubiectionẽ baptizati acceptante. Vt enim Apoſtolo

teſte *ad Galat. c. 5. v. 3. circumcidens ſe, debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ* cum Deo, non tam verbo, quam ipſo circumciſionis facto paciſcens: ita qui baptizatur, per Baptiſmum quem ſuſcipit, debitor fit Chriſtianæ legis, ipſa ſuſceptione Baptiſmi cum Deo & Eccleſia paciſcens. Ex hoc autem pacto, quod Baptiſmo interuenit, nec Baptiſmum dixeris ſtipulationem, nec inde probaueris, inſtitutione diuina ipſi verbum interuenire.

Si autem non probas verbum Baptiſmo interuenire, qui probabis verbum interuenire, quod SS. Trinitatis inuocationem contineat? Et tamen ais: illud, & quidem ſolum verbum, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* ex inſtitutione & præcepto CHRISTI adhibendum. quod ſolum etiam *Agenda* requirat, excluſis quæ præmittuntur EGO TE BAPTIZO. Nam vt legiſti *fol. 4. c.* de Baptiſmo habet: ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi in eo ſitam eſſe, vt baptizes aqua *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Tria ſunt, quæ hac parte reſponſi tui, præfers. Primum verba illa, quibus exprimitur SS. Trinitatis inuocatio, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* ex inſtitutione CHRISTI eſſe Baptiſmo adhibenda. Secundum: illa quibus exprimitur actus Miniſtri, & perſona circa quam actus exercetur, ſcilicet EGO TE BAPTIZO, aut ſimilia ex CHRISTI inſtitutione ac præcepto non adhiberi Baptiſmo. Tertiũ: quod ex prioribus eſt cõſequens, ſola priora illa ex CHRISTI inſtitutione, vt eſſentialia Baptiſmo, adhibenda, etiam ex ſenſu *Agendæ* Auſtriacæ. contra quam ego ſcripſi, totã verborum ab *Agenda* præſcriptam formam, vt eſſentialem ab illa Baptiſmo præſcriptam eſſe.

Vt autem ab hoc vltimo incipiam: probo ex *Agendæ* præſcripto, etiã illa, EGO TE BAPTIZO, aut ſimilia, quibus exprimatur actus, baptizantis, & perſona circa quã exercetur actus, eſſentialia eſſe Baptiſmo. Suppo-

Suppono verò, quoniam diſceptamus: An ex *Agendæ* ſenſu illa ſola, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* ſint de ſubſtantia & eſſentia Baptiſmi: ex illis ſolis, quæ ex *ca.* 2. *fol.* 4. legiſti, nihil omninò definiri poſſe; ſed ex illis, & ſimul antecedentibus ad illa, & cõſequentibus *Agendæ* verbis. Nam ſi de *Agendæ* ſenſu ex ſolis à te lectis verbis agatur, planum eſt, ex *Agenda* nõ haberi, quod haberi vis: ex eiuſdem præſcripto, vel illa ſola *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* ad Baptiſmi ſubſtantiam pertinere. Verba enim quæ legiſti, tranſlata fideliter ſic habent: ſubſtantiam Baptiſmi in eo ſitam eſſe, vt baptizes aqua *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ergò cum non dicat, ſubſtantiam Baptiſmi in eo ſitam eſſe, vt baptizes aqua, & pronunties illa *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* poſsis autẽ baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* etiamſi non pronunties dum baptizas, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* planum eſt ex ſolis verbis *Agendæ,* quæ legiſti, non haberi, quod haberi vis, illa ſola verba, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* ad ſubſtantiam Baptiſmi pertinere.

Itaq; ſi ex ſenſu *Agendæ* pronunciandum ſit, de verbis ex inſtitutione CHRISTI & mandato ad Baptiſmum adhibendis, non ex ſolis à te lectis, ſed etiam ex antecedentibus, & conſequentibus eſt pronuntiandum. Ex his autẽ facilè eſt probare, totam ab ea præſcriptam verborũ formam eſſentialem eſſe Baptiſmo.

Nam eodem *fol.* 4. ante lecta à te verba, priuſquam meminit ceremoniarum, quas certum eſt, etiam ex eius ſenſu, ad ſubſtanſtiam Baptiſmi non pertinere, dicit: Hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* Baptiſmi verba eſſe, quorum verus ſenſus diligenter conſiderandus ei retinendus ſit. dicit id verò eodem tractu

docens, doctrinam de S. Baptiſmo, eius inſtitutione vtilitate, fructu, operatione conſiderandã, & retinendam. hoc ipſo expreſsè ſignificans, ita hæc verba eſſe Baptiſmi, vt pertineant ad doctrinã de Baptiſmo, de inſtitutione illius, vtilitate, fructu, operatione. & quidem aliter, quam ceremoniæ, de quibus proximè diſſerit, & quæ non ſunt Baptiſmi, quia non ſunt de eſſentia Baptiſmi. Hæc autẽ manifeſtè ſignificant, tota illa verba, & non tantùm poſteriorem eorum partem, quæ continet inuocationem SS. TRINITATIS, eſſe ex CHRISTI inſtitutione, & eſſentialia Baptiſmo. Vnde quæ proximè ſubijciuntur, & tu ex *Agenda* legiſti: ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi in eo ſitam eſſe, vt baptizes aqua *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ex ſupradictis ſunt explicanda, vt eorum ille verus ſit ſenſus: eſſentiam & ſubſtanſtiam Baptiſmi in eo ſitam eſſe, vt baptizes aqua *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, qui per ſupradicta verba, quæ Baptiſmi dicta ſunt, inuocetur. hoc ipſo autem non ſolùm illa: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſed & anteriora: EGO TE BAPTIZO: quibus exprimitur actus baptizantis, & perſona circa quã ille exercetur, ex *Agenda* ſenſu erunt de eſſentia & ſubſtantia Baptiſmi.

Atq; hunc ſenſum verborum à te lectorum, euincunt etiam quæ ſubſequuntur. Nam inprimis non de poſterioribus ſolùm, ſed & anterioribus illis, atq; adeò de vtriſq; & tota præſcripta forma verborum, quæ *fol.* 4. *A.* dixit eſſe Baptiſmi verba, *fol.* 10. *A.* cum præmiſiſſet ceremonias eſſentiæ Baptiſmi præuias, ad ſubſtantiam eius veniens, præcipit: vt ſeriò, deuotè, tardè, clara, diſtincta, intelligibiliq; voce pronuntientur, & Miniſter dicat: EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. non præciperet autẽ hoc modo ſine diſcrimine

de vtriſq;, niſi vtraq; exiſtimaret de ſubſtantia & eſſentia Baptiſmi.

Rurſus *fol.* 12. eandem, eodem modo pronuntiandam obſtetrici præſcribit, & ſtatuit: ſi illa vna ſit adhibita in neceſsitate, & hoc poſtea conſtet Eccleſiæ Miniſtro, habendum pro verè, perfectè, & ex mandato CHRISTI baptizato, qui ſub ea verborum forma ſit ablutus aqua: ſupplendaſq; ſolum ceremonias neglectas, nec rebaptizandum. ne, vt inquit *Agenda*; Sacramentum Baptiſmi violetur, & verbum Dei quod adhibitum eſt, Ludibrio habeatur. verbum autem quod in eo caſu adhibitum eſt, non eſt tantum illud, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſed & illud: EGO TE BAPTIZO: ergò vtrumq; Dei verbũ eſt, & quod eſt conſequens, vtrumq; ſeu totũ, ex CHRISTI mandato adhibitum, & adhibendum ſecundum *Agendam*.

Demum idem euincit quod habet *fol.* 15. 6. Adultum eſſe baptizandum ſub præceptis à CHRISTO verbis, quæ ſubijcit, etiam maioribus literis impreſſa. EGO TE BAPTIZO, &c. Ergò cum præcepta à CHRISTO verba ſubſtantialia ſint Baptiſmo, illa ibi deſcripta, quæ ex *Agendæ* ſenſu præcepta ſunt à CHRISTO, ex eiuſdẽ ſenſu erunt Baptiſmo eſſentialia. Pro maiori firmitate huius rationis & euidentia, reddo tibi ipſa *Agendæ* verba, ex quibus ipſe tu pondera, quæ vrgent.

Der Tauffer ſol den Teuffling mit dem Haupt dreymal gar wol ins Waſſer hinunter tauchen/ mit dem heyſel vñ befehls worten JESV CHRISTI Jch Tauffe/ ꝛc.

Nec te pigeat, hæc tam prolixè ex *Agenda* deducta, legere, quæ vtriuſq; cauſa tam prolixè deducta ſunt. vt dedocerêre quod malè didiceras, & euulgaſti: me præter, & contra *Agendæ* mentem aſſeruiſſe, totã ab illa præſcriptam verborum formam, ad eſſentiam & ſubſtantiam Baptiſmi

pertinere. Intellexiſti enim ex antecedentibus, & conſequentibus, lecta à te verba, ex *Agendæ* ſenſu præferre, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam, ſecundũ vtramq; partem Baptiſmo eſſentialem eſſe. Ex eius enim ſenſu tibi probatum eſt, totam illam Baptiſmi verba eſſe: tota illa verba, mandata à CHRISTO eſſe: & qui cum illis baptizatus ſit, ex mandato CHRISTI baptizatum eſſe. Hæc autem illis verbis ex *Agendæ* ſenſu non conueniunt, niſi ex eiuſdem ſenſu conueniat, ea ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi pertinere.

Habes ex his & ſtabilitum verbum meum; ex *Agenda* præſcriptam verborum formã pertinere ad Baptiſmi ſubſtantiam, & euerſum ac redargutum verbum tuum; ex *Agendæ* ſenſu illa tantum: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ad ſubſtantiam & eſſentiam Baptiſmi pertinere.

Supereſt, vt reliqua dicta tua reſponſi tertij redarguã. Alterum: illa in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ad ſubſtantiam Baptiſmi pertinere. Alterum illa ſola excluſis anterioribus ad ſubſtantiam Baptiſmi pertinere. Actum verò agam te cogente. Vtrumq; enim iam ante redargui, & prima mea ad Sympatriotam meum *Ioannem Schnelzigk*, & altera, ac tertia ad *Bartholomæum Rulichium* Auguſtanũ verbi Miniſtrum, Symmyſtas tuos, ex firmato apud vos axiomate illo: *Nihil in re fidei probandum, acceptandumq; quod vel ſcriptum non ſit, vel non deducatur ex ſcriptis euidenter.*

Vbi enim ſcriptum eſt, vel ex quo ſcripto euidenter deducis, enuncianda tibi illa ad Baptiſmum vt eſſentialia: & eſſe eſſentialia ſola? certè apud Matthæum quem citas, id non legis. vbi ſolum legis: baptizandum *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Dicendum verò inter baptizandum: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nõ legis.

Et quia aliud Dei verbum in hoc non profers, ex ſcripto Dei verbo nõ probas, dicendum eſſe inter baptizandum: *In nomine Patris, & Filij, & Spritus Sancti.* Si hoc autem non probas, certè non probas: ex mandato & inſtitutione CHRISTI, illorum verbornm prolationem eſſentialem eſſe Baptiſmo.

Quomodo autem probas ex ſcripto Dei verbo ſolam illorum prolationem eſſentialem, ſi non probas eorum prolationem eſſentialem eſſe Baptiſmo?

Nihil his addo, quia firmata ſunt, in citatis epiſtolis meis: & te oportuerat adducere, & refutare, ſi ex citato Matthæi loco, abſq; nota petiti, vt aiunt principij, volueras probare quod intendiſti. Quomodo enim non petas principium, Matthæi verbum in id adducens, vt probes, quod habere Matthæi verbum negatur, & negabitur ſemper? proferenda ſcilicet inter baptizandum illa *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Sed & hoc mitto: & ſolùm pro concluſione noto: contra FIDEI TVÆ principium, nihil admittendum, quod ſcriptum non ſit, admittentem te illa verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* pro eſſentialibus Baptiſmi, abſq; ratione, & fundamento, nec, vt aiunt cõſequenter, ab eſſentialibus eiuſdem excludere, quæ iſtis in præſcripta verborum forma præponuntur. Æquè enim ſcriptum non eſt, vt inter baptizandum dicas: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ac vt dicas: EGO TE BAPTIZO. Ergò, vel æquè conſequenter illud, ac hocce verbum, ab eſſentia & ſubſtantia verbi excludas: vel cũ fundamento, & conſequenter, vt aiunt, admiſſo illo pro eſſentiali, hoc ab eſſentiali Baptiſmo non excludas.

Poſtquam autem admiſſo illo verbo vt eſſentiali, ex ea, quæ eſt ſecundũ TRADITIONEM citati ex Matthæo

verbi intelligentia, euertiſti idolum illud tuum: NIHIL CREDENDVM QVOD SCRIPTVM NON SIT: valdè conſequenter ex TRADITO verbo Dei,& eadem illa,quæ eſt ſecundum TRADITIONEM verbi ſcripti apud Matthæum intelligentia, hocce etiam verbum, atq; adeò totam, quam præſcribit *Agenda* verborum formam, ad Baptiſmi ſubſtantiam & eſſentiam pertinere, cum Orthodoxis, Catholicis, & Romanis concedas.

Hæc mi Domine SIMON, ad ea ſint, quæ tu contra mea poſteriori concione tua. Et ſunt vt vides, non aëri qui fluit, ſed conſtanti impreſſa chartæ. quod velim meā tibi in cauſa confidentiam repræſentet. Niſi enim illi fiderem, nec te primum charta laceſsiuiſſem: nec laceſsitum indelebili ad poſteritatem vrgerem typo. Quia verò fruſtra, vt videtur, te vrgeo; ex voto ac voluntate tua vrgere te deſinam, & conquieſcam, vbi totam hanc inter nos agitatam quæſtionem, per inuulgatas ad te, & duos Symmyſtas tuos epiſtolas meas, ad liberum de nobis cuiuſq; judicium VRBI & ORBI inuulgâro. DEVS te ſeruet ad ſuam gloriam. Vienna ex Collegio Conuictorū Societatis JESV, die 21. Ianu: An: M. DC. XVI.

D. T.

Indignus in Chriſto Seruus

JOANNES RAPHAEL Cobenzl è Societate IESV.

APPEN-

APPENDIX, AD SVPE-RIOREM EPISTOLAM.

Continens meũ cum eodem Simone de eadem quæſtione familiarem congreſſum.

VLTIMA FVIT SVPERIOR EPISTOla, non earum ſolùm, quas ad te dedi; ſed & omnium, quas ad vos Triumviros verbi Miniſtros dedi. & vna eſt, quæ cum oblata fuiſſet, accepta nõ eſt. Auctam ergo ex pridiano, quam offerretur tibi, congreſſu meo tecum, oculis omnium ſubijcio: vt conſtet ex ea, nõ ſolùm quid ad quæſitum meum pro concione reſponderis; ſed etiam quid priuatim contuleris mecum.

Itaq; cum forte fortuna ad pratum Scotenſe concurriſſemus & occurriſſemus inuicẽ die 22. Ianua: An: currẽtis 1616. tertia poſt meridiem hora; tu ex vrbe reuectus domũ, ego ex vicino pago in vrbem rediens; poſt mutuas ſalutationes, commemorare ego: quia præter ſpem meã, & promiſſionem tuam, ac tuorũ, nihil ad mea accepiſſem in ſcripto; aliam me ſcripſiſſe epiſtolam, qua dictis pro concione cõtra me tuis, reſponderẽ. eam hodie Magiſtrũ *Iodocum*, (quî cum tibi magna conſuetudo, & multa, ac frequens de Religione concertatio) detuliſſe in Herenhals, offerendam tibi. Prohibitum autem acceſſu ad te; cũ negareris eſſe domi, & eſſes tamen, vt ipſe tu faſſus es. in craſtinum autem rediturum. orare, vt acceptam velis, & tandẽ aliquando reſpondeas. Tu: reſponſurum te libenter, ſi per tuos tibi Directores liceat. An autem oblatam eſſes accepturus, non dixiſti.

Miſſis verò alijs, controuerſam inter nos quæſtionem in medium produxi, & exegi; pro Amicitia diceres:

Digitized by Google

VNDENAM HABEAS, SVB QVA EX AGENDÆ PRÆSCRIPTO BAPTIZAS VERBORVM FORMAM. ILLAM EGO TE BAPTIZO, &c.

Reſpondiſti ex *Matth: c. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Cum opponerem hinc habere te ſolum, vt baptizes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non autem vt baptizans dicas; *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; & multo minus vt dicas: EGO TE BAPTIZO *in nomine &c.*

Reſpondiſti: ad complendam verborum formam, accerſenda illa: EGO TE BAPTIZO: ex Ioannis Baptiſtæ verbis, quæ referunt *Matth: c. 3. v. 11. & Luc.* item *c. 3. v. 16. Ego quidem baptizo vos aqua.*

Hic ego recordatus Caluinianæ Mulieris, quæ cum NOSTRIS HOMINIBVS conferens, & poſtea mecum Caluinianus eius famulus, totam verborum formam Baptiſmo præſcriptã, indidem fuerant probare conati; ſubridens interrogo: Illane Mulier haberet à te hanc verborum formæ ex verbo Dei probationem, an tu ab illa? Et tu, pro tuo candore; fortaſsis etiam probroſum tibi æſtimans, Magiſtram TE MVLIEREM habuiſſe: Illam abs te, non te ab illa habuiſſe.

Credidi tibi de te atteſtanti, quod alijs de te atteſtantibus, nec hactenus credidi, nec crediđiſſem vnquã. Tantùm dolui, productum id ad S. Stephani pro concione ex ore DISCIPVLÆ TVÆ MVLIERIS; quod ex ore tuo productum, vt par erat, habuiſſet autoritatem maiorem. Producetur autem adhuc: quod hic ego pro ſeræ poſteritatis memoria te volente produco.

SIMONEM MANN LVTHERANVM, VERBI MINISTRVM IN HERENHALS. Verborum formã Baptiſmi, quam totam ex verbis præcepti de Baptiſmo

proba-

Probare non potuit, probare partim ex verbis præcepti de Baptiſmo, quod eſt apud *Matth: c. 28. v. 19.* partim ex illis Ioannis Baptiſtæ verbis: *Ego quidem baptizo vos aqua.* quæ ſunt apud *Matth: c. 3. v. 11.* & *Luc. c.* item *3. v. 16.*

Et primum noto: aliter te locutum pro concione, quam de hac re abſente me habuiſti: & cõtradixiſſe tibi. illa enim contendiſti, hæc ſola: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* etiam ex *Agenda* ſenſu, & præcepto CHRISTI, adhibenda Baptiſmo. hic probaſti ex verbo Dei, etiã illa: EGO TE BAPTIZO: & quidem præ illis alijs, Baptiſmo adhibenda eſſe.

Deinde: conſarcinantem te verborum formam Baptiſmi ex tam diſsitis, ac diſparatis ſcripturæ locis, augere, & aucturum in poſterum, rapſodas ſcripturæ conbinationes, quas *Reuerendiſsimus de Franciſcana Familia Epiſcopus F. Ioannes Naſ,* ex Hæreticorum ingenio, & vſu compilauit. de quibus vnam duntaxat, parem illi tuæ, quam nobis pro verborum forma obtrudis.

ET ATTVLERVNT EI PARALYTICVM: ET DIXERVNT: ECCE DVO GLADII HIC.

Demum ex citatis ſcripturæ locis, te non probare, vel illa: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* vel prætera illa: EGO TE BAPTIZO: ad Baptiſmum ex CHRISTI præcepto eſſe pronuntianda.

Dicas. Hæc: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* haberi ex verbis præcepti de Baptiſmo *Matth: c. 28. v. 19.* illa: EGO TE BAPTIZO: exemplo Baptiſtæ adhibenda: quæ ſuperioribus adiuncta, totam verborum formam conſtituant.

Sed contra eſt: quia, vt vt habeas ex verbo præcepti de Baptiſmo, illa: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* non habes tamẽ ex præcepto ad Baptiſmũ pronunctianda

Verbo

Verbo enim præcepti de Baptiſmo ſolum habes, vt baptizes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* non autem vt baptizans dicas, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ergò cum baptizare poſsis corde ſolum, ac animo, inuocato Patre, Filio, & Spiritu Sancto ſatisfacere potes præcepto, etiamſi non pronunties quando baptizas, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Illa autem: EGO TE BAPTIZO: præterquam quod non habeas ex præcepto pronuntianda, nuſquam, enim præceptum eſt, vt baptizans dicas: EGO TE BAPTIZO: non habes ex Baptiſtæ exemplo pronuntianda ad Baptiſmum. Citatis enim ex Matthæo & Luca verbis nō habes, Baptiſtam cum baptizaret, ad Baptiſmum dixiſſe: EGO VOS BAPTIZO. ſed tantùm, ſe quidem baptizare & vt habet *S. Marc: c.1. v.8.* baptizauiſse aqua, CHRISTVM autem Dominum cui præcurreret, baptizaturum *Spiritu Sancto & igni.*

Quanquam, dato tibi, nec conceſſo: Ioannem baptizaſſe ſub illis: Ego te baptizo verbis; quia tamen diuerſa ſint, & diſtincta Baptiſmata Ioannis, & CHRISTI, ex Ioannis exemplo & Baptiſmo, non concludas euidenter, CHRISTI itidem Baptiſmum ſub illis verbis adminiſtrandum.

Eſſe verò diuerſa & diſtincta Ioannis & CHRISTI Baptiſmata ex citatis Matthæi & Lucæ verbis, ſed & *Marci ca. 1. v. 10.* vbi tanquam diuerſa inuicem opponuntur, eſt manifeſtum. Clarius ex *19. cap. v. 4. 5. Acto: Apoſtolicorum,* vbi qui baptizati fuerant Ioannis baptiſmate, ad prædicationem Pauli *baptizati ſunt in nomine Domini IESV.* non baptizandi *in nomine Domini IESV,* niſi alius eſſet à Baptiſmo Ioannis, Baptiſmus *Domini IESV.* ne iteraretur, qui iterari nō poteſt Baptiſmus. vt habet ad Hebr. S. Paulus *c. 6. v. 4.*

impoſsi-

Digitized by Google

impoſſibile enim eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt &c. *& prolapſi ſunt, renouari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis filiũ Dei, & oſtentui habentes.*

Ergò, cum nec ex verbis præcepti de Baptiſmo, nec ex Ioannis exemplo habeas, verborum formam adhibendam eſſe Baptiſmo: poſsis autem baptizare, vti quamlibet aliam præceptam actionem exercere, illis vel ſimilibus verbis mente duntaxat conceptis; planum eſt ex ſcripto Dei verbo, & particulariter ex citato à te verbo, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam adhibendam non eſſe ex præcepto.

Dicas, quod tunc etiam dicebas: nullam te actionem circa alterum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* exercere poſſe, quin pronunties te illam *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* exercere. conſequenter nec baptizare, quæ eſt actio circa alterum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* exercenda.

Sed ſi id dicas, nihil dicas. Nam vt de ſacerrima apud vos actione loquamur, quæ eſt putati veſtri Sacramenti diſtributio: An nõ eam præceptam *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* exerces, quin ex neceſsitate dicas: ACCIPE: vel EGO DO TIBI CORPVS ET SANGVINEM DOMINI *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*? Idem eſt de operibus miſericordiæ in proximum, quæ abſq; vllo verbo externo potes exercere, & te exercere ipſe tu fateberis; niſi fortè in illis ſis, qui eleemoſynæ vice, petentibus dent verbum, quod eſt apud *S. Iacobum c. 2. v. 16. Ite in pace: calefacimini: & ſaturamini.* Malè ergo aſſeris, nullam te actionem circa alterum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* exercere poſſe: vt peius inferas, baptizare te non poſſe *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* quin pronunties baptizare te *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Digitized by Google

Ex quibus infero, quod tum etiam intuli, præſcriptam ab *Agenda* verborum formam, vſq; adeò neceſſariam non eſſe Baptiſmo CHRISTI, vt ſi ad ſolũ ſcriptum Dei verbum attendas, excluſa *TRADITIONE*, & quæ eſt ſecundum *TRADITIONEM* verbi ſcripti intelligentia, abſq; vllo penitus verbo, Baptiſmus CHRISTI adminiſtrari poſsit.

EX RATIONE STIPVLATIONIS QVAE BAptiſmo tribuatur ex 1. Petr. 3. v. 21. non haberi, illum verbo conſtare debere.

Nec euincat aliud quod ex ſtipulatione etiam tunc repetiuiſti argumentum. Nam omninò conſtat, quod aliàs reſpondi, quia nulla alia verba interueniant Baptiſmo, etiam ex FIDE TVA, quam quæ ab *Agenda* Baptiſmo præſcripta ſunt, Baptiſmum ſtipulationẽ non eſſe. Illa enim non præferunt ſtipulationem, quæ, vt aiſti, oralis contractus eſt: & conſtituitur præuia interrogatione vnius paciſcentium, & ſubſequa alterius reſponſione.

Idem autem vel ex PARVVLORVM Baptiſmo, eorũ præſertim, qui baptizantur in neceſsitate abſq; vllis ceremonijs, demonſtraui. tunc enim præter ſubſtantialia Baptiſmo, quæ ſunt ablutio aquæ, ſub præſcripta ab *Agenda* verborum forma, nullum aliud verbum interuenit: ergò cum id verbum non ſit verbum, quo ſtipulatio poſsit conſtitui, Baptiſmus PARVVLI eſſe non poterit ſtipulatio, quod contendis. Et quod eſt vlterius conſequens, & tunc etiã intuli: ſiquidẽ idem eſt ſecundũ ſubſtantiã PARVVLI & Adulti Baptiſmus, qui ſub eadem verborum forma adminiſtratur, etiam Adulti Baptiſmus non erit ſtipulatio.

Confirmaui idem ex eo, quod ſaltem PARVVLVS qui baptizetur, in Baptiſmo reſpondere non poſsit. quod autem per Patrinos reſpondeat, accidentale eſſe Baptiſmo:

ergò vel hoc nomine Baptiſmus ſtipulatio non eſt. ſiquidem ſtipulatio reſponſione alterius paciſcentium ad interrogationem alterius, conſtare debet.

Hic tu mihi ex errore veſtro, quo actualē fidem PARVVLIS, dum baptizantur affingitis, reſpondiſti: PARVVLOS dum baptizantur, DEO qui cū paciſcuntur, interno FIDEI verbo reſpondere.

Sed quam hoc ad rem fuit? Ego requiro externū oris verbum, & reſponſum, ad ſtipulationem requiſitum: & tu mihi reſponſum cordis, & FIDEI obtrudis, quod non conſtituit ſtipulationem.

Dato itaq; tibi, quod abſq; errore in FIDE non petis: PARVVLOS dum baptizantur ore FIDEI ac corde reſpondere, non habes tamen hinc, quod petis: Baptiſmū PARVVLI ſtipulationem eſſe. ſi autem Baptiſmus PARVVLI nō eſt ſtipulatio, nec Adulti qui idem eſt, cū Baptiſmo PARVVLI, eſſe poterit ſtipulatio.

Addo *PARVVLOS*, non interrogari verbo, quo conſtituatur Baptiſmus, vt eſt per ſe notum. nullo enim alio verbo Baptiſmus conſtituitur, quā verbo ab *Agenda* præſcripto. Hoc autem non eſt interrogatio. Quomodo verò cōfinguntur PARVVLI reſpondere interno Fidei actu, qui in Baptiſmo ſecundum eſſentiam ſuam conſiderato, penitus non interrogantur. Hæc ego ad hæc, quæ tu ad argumentum contra te meum reſpondiſti.

Non omitto autem hic, quod ad idem argumentum, à *M. Iodoco* poſtera luce, cum offerret, & nō acciperes epiſtolam meam, repetitum, abſurdius multò reſpondiſti, PARVVLOS & Infantes, incognito nobis verbo reſpondere. & habere id pſalmiſtam *pſal: 8. v. 2.* cum dicit: *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?*

Sat habeo, vel produxiſſe reſponſum hoc tuum. Nam

Digitized by Google

produxiſſe tantùm, eſt illud refelliſſe. Qui verò, *mi Simon*, ignotum hoc PARVVLORVM ad Baptiſma reſponſum cognouiſti? ſi verò id non cognouiſti, quinam tu PARVVLOS verbo nobis incognito ad Baptiſmum reſpondere dixiſti? Nimirum: vti verbum præter ſcriptum Dei verbum, quo interrogentur PARVVLI, affinxiſti Baptiſmo: ita verbum nobis incognitum, quo reſpondeant interrogati. Ex affictis autem Baptiſmo interrogatione & reſponſione paciſcentium, non efficitur vt Baptiſmus CHRISTI ſtipulatio ſit, quod contendis.

Ex quorum autem infantium, & lactentiũ ore Deum laudem, & quam laudem perfecerit, habes ipſo CHRISTO interprete apud *Matth: 21. cap. v.15. Videntes Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt ei. Audis quid iſti dicunt? IESVS autem dixit eis. vtiq;. nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?*

Dicas verò, quod & tunc dixiſti. Et tamen ex ſcriptura Baptiſmus eſt ſtipulatio. *Prima Petri 3. cap. v.21. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium: ſed bonæ conſcientiæ* ſtipulatio *in DEVM.*

Non examinaui epiſtola mea ſuperiori hunc ſcripturæ locum, ex quo tu contendis Baptiſmum ſtipulationẽ eſſe: quia exceptores mei, vnde tu id probaſſes, nõ adnotarunt, ſed nec in hanc horam ex vulgatæ editionis teſtimonio tu id probes. Nam quod citaſti, non citaſti vt habet vulgata. quæ habet: cõſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, tu pro libertate euangelica, & græcæ linguæ non vulgari ſcientia, ſubſtituto nomine ſtipulatio, pro interrogatio, aliter, vt citaui, legis: quia græcum ἐπερώτημα, quod vſitatiſsimæ interrogationem ſignificat, etiam ſtipulationem ſignificet. Vt quid autem ab vulgata recedis, à qua ne

recedens obtines,quod intendis? certè ab illa pro arbitratu recedendum nõ eſt; præſertim in probatione dogmatum FIDEI ex ſcriptura.

Sit autem primum quod vis, S. Petrum dicere,Baptiſmũ eſſe bonæ conſcientiæ ſtipulationem in Deum. quod etſi dicas, non malos Autores ſecutus; non dicas tamen, ipſum in ſe Baptiſmum ſecundum ſubſtantiam eſſe ſtipulationem. ſed ratione præuiarũ diſpoſitionum, quæ plures continent ſtipulationes, vt ex præuio Catechiſmo eſt manifeſtum.

Hinc autem malè deducas, Baptiſmum ſecundũ ſubſtantiam verbo vllo ex neceſsitate & præcepto conſtare. ſi enim ſecundum ſubſtantiam ſuam non eſt ſtipulatio; ex eo quod per accidens, ratione præuiarum diſpoſitionum, quæ nõ ſunt neceſsariæ ad Baptiſmum, vt conſtat in PARVVLIS, eſt ſtipulatio; dici non poteſt Baptiſmum ſecundũ ſubſtantiam vllo verbo conſtare.

Nihil verò dicas, licet dicas, quod & tum dicebas: locum illum S. Petri de Adultorum Baptiſmo intelligendũ, cui neceſſario prærequiratur conſenſus in Baptiſmum,ſtipulatione expreſſus. Quanquam enim Adultorum Baptiſmo ſecundum eſſentiam & ſubſtantiam prærequiratur baptizandi in Baptiſmum conſenſus, non prærequiritur tamẽ cõſenſus ſtipulatione, hoc eſt,reſponſione baptizati, ad interrogationem baptizantis, expreſſus. Nam Baptiſmus conſtat ſecundum ſubſtantiam & eſſentiam ſuam, qui conferatur in Baptiſmum conſentienti, licet ſuum in Baptiſmum conſenſum nullo penitus verbo expreſſerit. vt proinde etiam Baptiſmo Adultorum accidentale ſit, eſſe ſtipulationem; ratione præuiæ diſpoſitionis communiter adhiberi ſolitæ.

Hinc autem tantùm abeſt vt rectè inferas, Baptiſmum

Adultorum ſecundum ſubſtantiam ſuam verbo conſtare debere, vt nec rectè inferas, vllum omninò verbum ſubſtantiæ & eſſentiæ Baptiſmi prærequiri, ratione conſenſus baptizandi in Baptiſmum, qui prærequiritur Adultorum Baptiſmo.

Ex citato itaq; S. Petri verbo, etiam vt tu citas, nō habes, quod volebas: verbum ad Baptiſmū requiſitum eſſe. Citati autem à te verbi hactenus explicati ſenſus eſt.

Saluos vos facit Baptiſma, non quia ſit depoſitio ſordium carnalium; ſed quia ſit depoſitio ſordium ſpiritualium, quæ ſunt peccata, ex ſtipulatione bonæ ac ſinceræ conſcientiæ ad Deum, & Deo facta, quâ cum ſuſcipiatur Baptiſmus. Stipulatio enim in Deum, quæ non procedat ex conſcientia bona, quâ cum ſuſcipiatur Baptiſma, impedit depoſitionem ſordium Spiritualium, noua ſorde potiùs inficiens, quàm à præteritis emundans.

Deinde ſi vrgeas, quod tum etiam vrgebas, ipſum Baptiſmum dici ſtipulationem in Deum: ipſum ergo in ſe, & non tantùm ratione præuiarum diſpoſitionum quæ accidentales ſint, eſſe oportere ſtipulationem, & conſtare verbo. Reſpondebo, quod tunc etiam reſpondi: Baptiſmum ſtipulationem dici non propriè, ſed communiter, prout ſtipulatio ſumitur pro pacto. Eſſe verò Baptiſmū ex inſtitutione CHRISTI pactum hominis cum DEO, quod ineatur ipſa Baptiſmi ſuſceptione. vti Iudæus ex inſtitutione diuina circumciſione ſuſcepta, cū eodem Deo, ſub lege veteri paciſcebatur. quod conſtat ex Paulo *ad Galat: c. 5. v. 3. Conteſtor autem omni circumcidenti ſe, quia debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.*

Ex hoc autem quod Baptiſmus ſit pactum cum Deo, & hoc ſenſu ſtipulatio bonæ conſcientiæ in Deum, non euinces quod vis: Baptiſmū in ſe verbo conſtare debere.

Sumi

Sumi verò ſtipulationem hic pro pacto, confirmem etiam autoritate Lutheri tui: quam, quia ſit Patriarchæ tui, ſpero non reſpues. Is ergò quod tu ſtipulationem citas, & legis, pactum vertit: non verſurus, ſi ipſum in ſe Baptiſmum ſtipulationem propriè dictam exiſtimaſſet.

Nec jure me accuſes, vt tunc etiam faciebas, à propria me vocis ſignificatione deflectere, vt vim argumenti tui declinem. Deflecto enim & deflexi à propria vocis ſignificatione ad communem; quia ratio & eſſentia Baptiſmi, propriam ſtipulationis rationem non admittit: vt admittit propriam pacti rationem. Baptiſmus enim reſponſionem alterius paciſcentium, ad alterius interrogationem non admittit; vt ſit propriè dicta ſtipulatio: ergò ſi tibi ex S. Petro eſt nihilominus in ſe ſtipulatio, non erit in ſe ſtipulatio; niſi quia ſit pactum, bonæ conſcientiæ in Deum. atq; adeò non propriè, ſed communiter dicta ſtipulatio, prout ſumitur pro pacto.

Sic autem accepta ſtipulatione: verborũ S. Petri quæ citas, ſenſus eſt. Baptiſma vos ſaluos facere, non quia ipſe ſit depoſitio ſordium carnalium; ſed quia ſit bonæ conſcientiæ ſtipulatio in Deum: hoc eſt: quia ſit ex inſtitutione diuina pactum hominis cum Deo, quo ſordibus animi, quæ ſunt peccata, conſcientia bona fiat apud Deum.

Demùm autem, ſi retineamus, vt par eſt, vulgatam lectionem eius loci; multo minus habes inde, quod intendis. duplex eſt enim eius verbi: *Bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum*, explicatio. & neutra pro te facit. vtraq; ſupponit illis verbis, velut per effectum μετωνυμικῶς explicari depoſitionem ſordium animi, & munditiem quam habeamus per Baptiſmum.

Prima eſt bonorum Autorum, qui bonæ conſcientiæ interrogationem in Deum, quæ conſequitur. depoſitio-

nem

nem ſordium animi vt effectus cauſam interpretantur, liberam bonæ conſcientiæ pro ſe, & ſuis cum fiducia impetrandi, orationem: cui Deus reſpondere ſoleat, liberali eorum quæ orantur, & interrogantur conceſsione. juxta quod B. Ioannes *1. epiſto: c.3. v. 21. Si cor* inquit, *noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.*

Altera & melior eſt, itidem Magnorum; qui conſcientiæ bonæ interrogationem, nihil eſſe volunt aliud, quã propriæ conſcientiæ interrogationem, & examen, quo baptizatus de ſuo ſtatu ipſe ſe interrogans coram Deo, in eadem ipſa ſua conſcientia reſponſum accipit: quod depoſitis peccatis & emundatis, ſit filius Dei. juxta illud Pauli *ad Rom: 8. v. 16. ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* reddit autẽ teſtimonium ſpiritui noſtro, interroganti illum de ſe, quod per Baptiſmũ mundati à peccatis, ex iræ, & perditionis filijs, ſimus filij Dei.

Secundum vtramq; illius verbi explicationem, ſentẽtia verborum S. Petri illa eſt. Baptiſma vos ſaluos facere, non quia ſit depoſitio ſordium carnalium; ſed quia ſit depoſitio ſordium animi, ex qua conſequitur vel conſcientiæ bonæ fiducialis oratio & interrogatio Dei pro ſe & alijs: cui Deus petita concedendo reſpondeat. vel conſcientiæ bonæ de ſeipſa, & ſtatu ſuo interrogatio & examen: cui itidem Deus reſpondeat, atteſtando quod à peccatis mundati ſitis filij Dei.

Vtrouis autem modo citata, interpreteris, planum eſt, ex illis, multò minus habere te, quod contendis. Nam præterquam quod interrogatio & reſponſio hæc effectus ſit Baptiſmi, conſequens illius ſubſtantiam, etiam poſt aliquod à Baptiſmo tempus: interna eſt, Deo ſoli nota, & ſpiritui hominis, in quo eſt: ex hac autem Baptiſmum

conſe-

conſequente & planè interna, Baptiſmo verbum interuenire, ne probabiliter quidem inferatur.

Nihil ergo ex citato S. Petri loco habes; quo verbum ad Baptiſmum, nedum verbum ab *Agenda* præſcriptum ex inſtitutione CHRISTI adhibendum eſſe oſtendas.

Sit hic autem familiaris inter nos colloquij, de priſtina quæſtione noſtra, finis. ne autem fruſtra habitum fuerit, tanto vtriuſq; noſtrûm incommodo; in via publica, ſub dio, & ad aërem liberum, ac frigidum, quo vix non vterq; cum comitibus, obriguimus; ex aëre & aura collectum, *TIBI, TVIS*, & *MEIS* ad ſeriam ac ſeueram cenſuram volens ac libens repræſento. TV vel ad hoc, ſub tuo nomine invulgatum, pro prompta quam præ te fers voluntate, poſcenti te rationem, de ea quæ in te eſt ſpe, ſatisfactionem para. & recogita: Paulum in vinculis ſcribentem: V*ERBVM* D*EI ALLIGATVM NON ESSE* Petrum cum Apoſtolis pro concilio Iudæorum conſtitutum, libere pronuntiare. D*EO MAGIS QVAM HOMINIBVS OBEDIENDVM*. Et Danielem Prophetam, Leonibus in prædam certò certiùs obijciendũ, contra decretũ Medorum & Perſarum, quod præuaricari nõ licuit, domi ſuæ, feneſtris apertis, in cœnaculo ſuo, contra Hieruſalem, tribus temporibus in die flectere genua ſua: & adorare: confiteriq; coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat. & agnoſces TE, qui de FIDE TVA requiſitus, vti promiſiſti, non reſpondeas; quanquam Prophetas, Apoſtolos, Euangelia, plenis, vt aiunt, buccis crepes, nihil Propheticum; nihil Apoſtolicum, nihil Euangelicum præ te ferre. Faxit autem ſpirituum Pater & ponderator Dominus, qui idem eſt Magiſter Apoſtolorum, & boni Nuntij, & Magni conſilij Magnus Angelus, vt ex FIDE

Digitized by Google

VERA, tantus quantus, in Propheticum, Euangelicum, & Apoſtolicum virum euadas. Vale. Vienna ex Collegio Conuictorum Societatis IESV, die 1. Februarij. Anni: 1616.

D. T.

Indignus in Chriſto Seruus,

JOANNES RAPHAEL
Cobenzl è Societate IESV.

EPILOGVS.

Candide Lector,

SI legiſti, judica: An nō probem ex Baptiſmo, qui Chriſti inſtitutione prædicta verborum forma cō-ſtet, præter ſcriptum Dei verbum, aliud Dei verbū quod TRADITVM appellamus, neceſſario concedēdum eſſe. ex ſcripto enim verbo Dei, à quo ſecludatur ea quæ eſt ſecundum TRADITIONEM verbi ſcripti intelligentia, nec forma Baptiſmi probari poteſt, nec præceptum, vt illa ad Baptiſmum adhibeatur. vtrunq; probat TRADITIO, & quæ eſt ſecū-dum TRADITIONEM verbi ſcripti intelligentia. Nam & verbum illud *Ioannis 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* TRADITIONE ſic accipiendum

(licet

(licet hoc verba non præferant) vt non renaſcamur in Spiritu ſancto, niſi abluamur aqua ſub præſcripta verborum forma. & illud *Matth: 28. v. 19. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* vt non baptizemur ex præcepto CHRISTI *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, niſi abluamur ſub prædicta verborũ forma. & illud *ad Eph: 5. v. 25. mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ,* vt Eccleſia mundata nõ fuerit, niſi per lauacrum ſub præſcripta verborũ forma. præferunt autẽ hanc TRADITIONEM perpetuus Eccleſiæ ſenſus, & vſus: Pontificum & Conciliorum decreta: Patrum, & expoſitorum ad ea loca communis doctrina, vt ſi horum teſtimonijs agendum ſit, multo ſit magis euincendum, quod ex ſolo ſcripto Dei verbo non habetur, haberi ex TRADITO paris cum ſcripto autoritatis & venerationis Dei verbo. Hoc autem cum iam non agatur, eſto hic Velitationis noſtræ finis cuiuſuis judicio, nedum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectæ.

Ad maiorem Dei gloriam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google